2

MATTHÆI SVTLIVII

De recta studij theologici ratione, Liber *vnus.*

EIDEM ETIAM ADIVNctus est breuis de concionum ad populum *formulis, & sacræ Scripturæ varia pro* auditorum captu tractatione, *libellus.*

IOANN. 14.
Dicit ei Iesus, ego sum via, veritas & vita.

Ambrosius Offic. lib.1. c.1.
Vnus verus magister est, qui solus non didicit, quod omnes doceret. Homines autem discunt prius, quod doceant.



LONDINI,
Apud *Melchisedechum Bradwood.*
1602.



MATTHÆI SVTLIVII

De recta studij theologici ratione, Liber

[illegible]

EIVSDEM [illegible] ADIVNE[illegible]

docet [illegible] populum [illegible]

formula [illegible] *pro*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

1 [illegible]



AD SACRÆ THEOLOGIÆ TAM PROFESſores, quàm candidatos

Præfatio.

SAcræ theologiæ ſcientiam, fratres & commilitones in Chriſto chariſſimi, profitentur multi, probant omnes pij, aſſequuntur pauci. quis eſt enim è multis, qui huius ſcientiæ ſtudio tenentur, qui quod illa poſtulat & pollicetur, præſtare, & non modo ſanam doctrinam diſertè & diſtinctè explicare, verum-etiam homines impios & hæreticos, qui contradicunt, ſolidè refellere & arguere poteſt? quis verbum veritatis rectè tractare, & omiſſis ſtultis & inutilibus quæſtionibus, quæ ad docendum, arguendum, corripiendum, & erudiendum populum ſibi commiſſum pro temporum & perſonarum varietate maximè conducunt, proferre, & grauiter & ſcienter ad ſenſus animorum accommodare nouit? at contrà videmus [a] *exiſtere* [a] 1.Tim.1.

 nonnullos

nonnullos, qui dum volunt esse legis doctores, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, satis intelligunt. *Cuius rei licet multæ causæ afferri soleant, earum tamen nullam plus valere putamus, quam quod plurimi sine certa ratione & via theologiæ studium ingrediantur, optimamq́; concionandi formulam & characterem ignorent. hinc enim factum est, vt alij confusè scripturas, patres, orthodoxorumq́; & hæreticorum libros legentes ex bonis scriptis non multum vtilitatis, ex malis multum damni perceperint. alij verò Lombardum, & scholasticos, & aduersariorum de controuersijs tractatus in manus sumentes, antequam de vera & falsa doctrina rectè iudicare potuissent, se in varios errores præcipitarunt; de fidei autem doctrina iudicium incertum adepti sunt. alij dum monachorum, & fidei orthodoxæ aduersariorum inquinatissimos commentarios & lutulentas postillas scrutantur, nō modo hæreticorum fermento sanam doctrinam corruperunt, sed etiam in dictionis genus vel tumidum & inflatum, cuiusmodi* Granatensis, *& alij monachi nunc sectari solent, vel ineptum & puerile, quod apud postillatores frequens est, inciderunt. multi denique dum inter saxa & cautes noxiarum opinionum sine certa fidei regula nauigant, & absq; Thesei filo labyrinthos contrariorum dogmatum ingrediuntur, aut in luto &*

cœno

cœno hæreseôn hærent, aut varijs fluctibus iactati incerti errant,

errat vt à ventis discordibus acta phaselus.

Nos ergo vt theologiæ candidatis, quorum studijs summè fauemus, in tanto discrimine auxilium opportunum afferremus, eisq; viam certam theologici studij, quam nullus sine summo periculo per se quærit, aut sine summo labore inuenit, commonstraremus; tractatum hunc de recta studij Theologici ratione, quem primum in amicorum quorundam nostrorum gratiam conscripseramus, nunc publici iuris faciendum esse censuimus. eidem etiam adiunximus aliud nostrum de formulis concionum ad populum, & scripturæ varia tractatione breuissimum scriptum. nimirum vt inde discant nouitij, qui munus grauissimum populum christianum docendi in se suscipere instituunt, & in genere dictionis, & in materia quam tractant, & in omni munere concionatorio, & quæ spectanda & sequēda, & quæ cauenda & fugienda videantur: atq; vt perfectè demum intelligant, quid ab eis postulatur, qui [a] se operarios præbere [b] ἀνεπαισχύντους, & verbum dei rectè tractare ex officio pastorali tenentur. [a] 2. Tim. 2. [b] Inconfusibiles.

Vos ergo, qui iam doctorum, & professorum theologiæ splendidissimum nomen adepti estis, hortamur & rogamus, vt & huius præclarissimi

 studij

studij tyrones quæ vtilia videbuntur, docere, eosque monere, & amore pietatis inflammare, atque vt omni cum fratribus deposita simultate, & alijs omnibus postpositis huius seculi vanissimis curis communem fidei orthodoxæ causam aduersus Iebusæos & Cananæos, magistrosque mendaces, & omnes antichristi rabulas conductitios suscipere velitis. Illi & scriptis, & concionibus, & colloquijs priuatis doctrinæ papalis corruptelas quantum possunt promouent & propugnant: atque ita opus partiuntur, vt alij catechismum & fidei prima principia doceant, alij apud populum concionentur, alij turbis se immisceant, alij cũ hominibus priuatis sigillatim agant, alij commentarios scribant, alij controuersias tractent, alij annales conficiant. Cur non ergo nos vicissim & scriptis, & concionibus, & sermonibus priuatis, & veram fidem promoueamus, & eorum corruptelis & mendacijs occurramus?

Reliquos verò, qui nunc primùm hoc theologici studij curriculum ingrediuntur, obtestamur per Christum Iesum, vt omni contentione & studio in hoc opus incumbant; vt scripturas diligenter legant, vt patrum scripta & hominum orthodoxorum commentarios cum Apostolorum & Prophetarum scriptis comparent, vt acta conciliorum non suspecta & ecclesiæ historiam euoluant, vt locos denique communes rerum omnium,

quæ

quæ vel ad fidem pertinent, vel ad mores, confi-ciant; nec committant, cum ingenio aduersarijs pares sint, eosque prima institutione, & alijs re-bus superent, vt labore, diligentia & studio ab illis vincantur. Est enim officium omnis viri Christiani in rebus fidei [a] parare se ad satisfa-ctionem omni poscenti rationem. *Qui autem episcopi, pastorisque & doctoris munus gerit*, po-tens esse [b] debet exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. *Pastoris e-tiam nomen ipsum admonere potest, eius officium esse & pascere gregem Christi, & lupos ab An-tichristo immissos, qui Christi gregi insidiantur, arcere. Atque hæc quidem, si ab vtrisque tam professoribus scilicet, quam candidatis theologiæ obtinere possimus, quod vestra pietate & huma-nitate freti & nobis & reliquis omnibus polliceri non dubitamus; tunc nec Lombardi centones, nec Thomæ Aquinatis & aliorum scholasticorum argutas nugas & ineptias, nec monachorum cæ-nosos commentarios, nec insulsas fraterculorum postillas amplius perscrutabuntur nouitij. Præ-terea hoc vobis audacter confirmamus nos breui & Bellarmini nodos, & Baronij & Sanderi men-dacia, & reliqua omnia, quæ vel ipsi, vel eorum sodales contra fidem fideique defensores & pro-fessores ediderunt, articulatim refutata & con-cisa visuros. Eos denique, qui hactenus atten-*


[a] 1. Petr. 3.

[b] Tit. 1.

 derunt

derunt spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, *& ex poculo meretricis magnæ meros biberunt errores, aut pænitebit aut pudebit.*

Omnes denique viros pios & fidei orthodoxæ studiosos obsecramus, vt studium hoc nostrum probare, & vnà nobiscum causam veritatis & religionis aduersus papistarum mendacia, hæreses, perfidiam & scelera suscipere, & animosè defendere velint.



MATTHÆI



MATTHÆI SVTLIVII de recta studij theologici ratione, *Liber vnus.*

Cap. I.

De virtutis indole, artiumq́ & linguarum adiumentis, alijsque ornamentis & instrumentis futuro theologo necessarijs.



Icut nec omnes euadunt milites, qui rei militaris studio tenentur; sic nec omnes theologi fiunt, qui theologiæ dant operam. Nam vt in militibus postulatur & robur corporis, & habitudo ad rem militarē apta, & animi fortitudo & viuacitas, reliquæque virtutes militares: sic etiam ad theologiæ studium non omnes apti & idonei reperiuntur, nec in eo multi proficiunt, nec aliqui excellunt, nisi quos spiritus sancti afflatus ad hoc diuinum studium excitat, & quibus deus & dona naturalia ad munus theologi necessaria contulit, & artium præterea & doctrinæ adiumentis instruxit.

Pastores

Pastores enim & doctores non casu exoriuntur, nec suis laboribus fiunt, nec tam ab hominibus, quàm *à Christo ecclesiæ* [a] *dati sunt*. Præterea non temerè hunc sibi honorem arrogant, sed *eos spiritus sanctus* [b] *constituit, qui regant ecclesiam dei*. Quamuis denique plures sint officiorum in ecclesia gradus, & diuersa ministeria; omnia tamen deus operatur in omnibus, vt ex verbis apostoli liquet. *Diuisiones sunt*, inquit, [c] *operationum, idē verò deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. Nihil est ergo, quod quis se summum theologum euasurum speret, nisi se à deo quodammodo ad hoc munus vocatum sentiat. Nam si in artibus humanis nemo excellere soleat, nisi qui diuinitus afflatus earum rerum studio incenditur & rapitur; non est credibile aut verisimile in hac diuinissima & præstantissima scientia quenquam operam vtilem collocare posse sine vocatione & afflatu diuino.

a Ephes. 4.
b Act. 20.
c 1. Cor. 12.

Postulatur etiam ab huius studij candidato, præsertim verò ab eo, qui alios docere instituit, & ingenij acumen, & memoria firma, & vox clara & flexibilis. Præterea habere debet & in vultu grauitatem, & in toto corpore dignitatem. Neque enim percipi potest tam recondita scientia sine ingenio, nec comprehendi vel quod discitur, vel quod docetur sine memoria. Pronuntiatio autem & actio decora, vbi vox deest, & summa est vultus aut corporis deformitas, haberi certè non potest.

In theologo præterea requiritur & morum sanctitas, & animus ab omni vitiorum & perturbationum labe purus. *Oportet enim ecclesiæ episcopum*

um irreprehensibilem esse, vt inquit [a] apostolus. [a] 1.Tim.3.
Præterea vt alios erudiat doctrina, non debet illis nocere exemplo. *Qui alium doces* inquit Paulus, [b] *teipsum non doces?* ne populus quidem vtiliter [b] Rom.2.
verbum dei audit, nisi qui mente purgata semen illud verbi incorruptum excipit. Doctori ergo multò magis affectuum puritas necessaria est. Vtrumque verò deus quasi per vmbram legis ostendit. Nam nec [c] populus ad legem audiendam [c] Exod.19.
admissus est, nisi post bidui purgationem: nec Moysem ad se accedere deus permisit, nisi postquam calceamenta pedum exuisset. Exuant ergo similiter theologiæ studiosi veteris hominis desideria, & inquinamenta morum, & pura mente ad sanctæ huius scientiæ studium accedant.

Artium denique variarum disciplinis, & linguæ latinæ, Græcæ & Hebrææ scientia instructus esse debet, qui theologiæ palmam quærit. *Contra ignota signa propria*, inquit [d] Augustinus, *magnum* [d] Lib. 2. de doct. Christ. c.11.
remedium est linguarum cognitio. Idem dicit *latinæ linguæ homines duabus aliis linguis ad scripturarum diuinarum cognitionem opus habere: Hebræa scilicet & Græca*. Nobis autem, quibus lingua latina non est uulgaris, & eius cognitio paranda est. Nam vt scripturæ in lingua Hebræa & Græca editæ sunt, quarum præcipua habenda est ratio; sic Græcè & Latinè & Ecclesiæ historia & varia patrum in sacras scripturas commentaria, & alia monumenta conscripta sunt. non tantum scripturæ ergo, sed hæc etiam omnia diligenter legenda sunt. Artium verò & philosophiæ cognitio theologum maximè exornat, & iuuat. Neque enim sine dialectica hæ-

reticorum

reticorum nodos & fallacias discernere & soluere, veráque dogmata tueri & confirmare, nec sine dicendi scientia vel veram doctrinam disertè & distinctè proponere & tractare, vel quæ ad pietatem & mores attinent persuadere potest. Præterea sine dicendi facultate neque vel mores auditorum rectè formare, vel ad hominum sensum orationem adhibere potest. Ecclesiæ denique & reip. historiam tenere, & rerum politicarum vsum habere, nec aliquid ignorare debet theologus, quod ab homine docto & vsu perito postulatur. Neque hoc nos tantùm, sed etiam ante nos summus theologus docuit [a] Augustinus. Ipse enim & philosophiam, & disserendi & dicendi scientiam, & poeticam & reliquas artes, & rerum denique ciuilium cognitionem plurimum ad scripturarum & rerum sacrarum intelligentiam conferre dicit. Nam & [b] *Moysem eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum.* & [c] ipsum *aurum & argentum & vestem Ægyptiorum* populo dei datam, in obsequium dei contulisse. [d] *Et omnem bonum verumque christianum intelligere domini sui esse, vbicunque inuenerit, veritatem.*

[a] Lib. 2. de doctr. Christ.
[b] Act. 7.
[c] Lib. 2. de Doctr. Christ. ca. 40.
[d] Ibidem, ca. 18.

Atque hæc omnia in theologo, quem oratione nostra informamus, ita necessaria videntur, vt in quo hæc summa sunt, eum summum theologum, in quo autem mediocria, eum mediocrem futurum existimemus. Qui autem vel nihil horum, vel non ea saltem, quæ maximi esse momenti videntur, tenet, multo ille consultius & sibi, & alijs faciet, si omisso theologi pastorisque ecclesiastici grauissimo munere ad alias artes, ad quas magis

aptus

aptus est, se conuertat. Nam qui vel principatus alicuius gratia, vel lucri, aut fortasse otij spe hæc studia consectatur, licèt se nec diuinitus vocatum, nec satis linguarum & aliarum scientiarum adiumentis instructum sentiat; hunc licèt se ingerat in theologiæ studium, & per manuum impositionem ad ecclesiastici pastoris officium designetur, theologi tamen & pastoris ecclesiæ nomine & munere indignissimum censemus.

Ne autem temerè quispiam aut se diuinitus vocatum, aut satis linguis & artibus instructum confidat, qui tamen nec verè vocatus est, nec satis idoneus theologiæ auditor, nec denique verè tam abstrusæ & diuinæ sapientiæ capax habetur; hunc nos & propter vocationem, & præsidia & instrumenta theologo futuro necessaria satis idoneum theologiæ auditorem esse credimus, qui nec propter spem lucri, nec gloriam huius seculi pastoris ecclesiæ munus, studiumque theologiæ amplectitur, sed quia summo huius scientiæ amore afficitur, & se verè artium & linguarum cognitionem sufficientem comparasse videt, & operam se ecclesiæ vtilem præstare posse credit.

Cap. II.

Quid præcipuè in suis studijs spectare debeat theologiæ candidatus.

QVoniam theologiæ scientia, non tam in contemplatione, quàm in actione versatur, ideo huius studij candidatus non tantùm nosse legem dei,

dei, sed eam etiam sequi, & quantum potest in hac naturæ humanæ fragilitate, præstare tenetur. Nam si omnes christiani debeant esse [a] *factores verbi, & non auditores tantùm*; tum maximè hoc à legis doctore postulatur, qui alijs lucem præferre debet, ne cum alios docuerit, ipse reprobus fiat. [b] Episcopus enim irreprehensibilis esse debet, & à pastore hoc requiritur, vt sit [c] *forma*, seu exemplum *gregis*.

a Iacob. 1.
b 1.Tim.3.
c 1.Petr.5.

Præterea cum theologia sit scientia de deo, rebusque diuinis & sacris, omniáque contineat, quæ deus de seipso, cultuque suo, rebúsque sacris & ecclesia sua in verbo suo nobis cognoscenda tradidit; idcirco theologus & verbum dei studiosè legere, & ea omnia, quæ ad salutem hominum, & rectam ecclesiæ administrationem pertinent, nosse debet. *Hæc est enim sapientia, & intellectus noster coram populis*, vt inquit [d] Moyses: eaque est scripturæ diuinitùs inspiratæ præstantia & virtus, vt virum dei perfectum reddat.

d Deuter.4.

Neque tantùm scripturas nosse, & quæ lex dei postulat, præstare; sed alios etiam ad iustitiam erudire tenetur. *Seruum enim dei* vt inquit [e] apostolus *oportet esse διδακτικὸν*, hoc est aptum ad docendum. debet etiam [f] *potens esse exhortari in doctrina sana.*

e 2.Tim 2.
f Tit 1.

Quoniam verò exurgunt quotidie hæretici, & alij veritatis hostes, qui & in circulis & in concionibus, idque & publicè & priuatim fidem christianam oppugnant, & non tantum in sermonibus priuatis, sed etiam aliquando scriptis publicis hæreses & praua dogmata dissеminant, virosque bonos

nos calumniari solent; idcirco ita se parare debet theologiæ studiosus, vt & in priuatis colloquijs, & publicis disputationibus, & concionibus veram fidem, virorúmque bonorum innocentiam defendere, & à calumnijs vindicare posit. Requiritur etiam, vt quoties opus est, scriptis publicis & latinè & in lingua vernacula & veritatem asserat, & aduersariorum mendacia & calumnias refellat.

Postremò ipsius est & peccatores monere & corrigere, & recta & vtilia suadere, & calamitate aliqua fractos solari, & iacētes erigere, scripturásque ita scienter tractare, vt per eas homo dei perfectus fiat, & ad omne opus bonum instructus. [a] Scriptura enim, cuius tractatio ad officium theologi spectat, *vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in iustitia.* Et vt ait apostolus Rom. 15. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Nihil autem turpius, [b] *quàm eos, qui magistri esse debent, rursus indigere vt doceantur, quæ sint elementa exordij sermonum dei.* Nec quicquam magis reprehendendum, quàm eos *qui volunt esse legis doctores, non intelligere, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

[a] 2. Tim. 3.
[b] Hebr. 5.
[c] 1. Tim. 1.

Hæc ergo in suis studijs spectare debent theologiæ studiosi, omníque animi contentione conniti, vt ea omnia diligenter & accurate præstent, quæ ad officium summi & eximij theologi pertinent. Si autem non omnibus detur in istis omnibus excellere; eum tamen cursum tenere debent,

quem

quem diximus, & ad perfectionem, quantum licet, contendere. Quod quidem cum semper ijs qui sacrosanctum theologiæ studium ingrediuntur, tum hoc tempore præcipuè faciendum est, quando tot ingruentibus hostibus, sanctissima Christi fides laborare, piorumque pastorum & doctorum fidem & operam implorare & flagitare videtur. Ad hoc etiam aduersariorum studia, contentiones, & labores summi nos prouocant & accendunt. Quid enim turpius, quando in causa pessima antichristi ministri & rabulæ conductitij tantam curam, diligentiam & laborem ad sua negotia promouenda adhibeant, orthodoxæ ecclesiæ doctores & pastores cessare, aut saltem parem diligentiam & contentionem in veritatis propugnatione & defensione non adhibere? illud denique cogitare debent, non posse omnes omnia facere, & honestum esse in rebus præclaris prima spectantem & sequentem in secundis, tertiisque consistere.

CAP. III.

Quibus rationibus theologiæ studiosus finem, quem spectat, consequi possit.

CVm in theologo non tantùm doctrina spectetur, sed vita etiam & mores, vt iam diximus, in vtroque etiam ille elaborare debet, vt reliquis omnibus præluceat. Quoniam verò vitæ probitas & innocentia illi est cum omnibus Christianis communis, nihil est quod singularia præcepta exspectet. Quomodo autem rerum sacrarum scientia

entia paretur, hoc & illi præcipuè curandum, & à nobis docendum videtur. In hoc autem non omnes idem sentiunt.

Olim satis erat scripturas diligenter legere, & tenere. Omnes enim controuersiæ & lites ex lege dei definiebantur. *Facies*, inquit [a] Moyses, *quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius*. Hinc factum est, vt iudices & theologi apud Hebræos ijdem & legis doctores & scribæ dicerentur. Similiter & in nouo Testamento sacris literis præcipuè incumbebant ecclesiæ pastores, & *Timotheus* laudatur, non quòd decretales pontificum, aut quòd spinosas scholasticorum quæstiones legeret, & intelligeret, sed quòd [b] *sacras literas ab infantia nosset. Illas enim apostolus, nos instruere posse docet ad salutem*. [c] Augustinus verò, etsi multa requirat in theologo; omnia tamen ille ad scripturarum intelligentiam refert, quasi illæ præcipuè legendæ & cognoscendæ essent. Eò enim & linguarum cognitionem, & philosophiæ, artiúmque aliarum disciplinas esse dirigendas. Mirúmque videtur aliquos aliud sentire, cum [d] apostolus doceat *ecclesiæ ciues ædificatos esse supra fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Quis enim non contemnat, tanquam lutum, & lignum, & stipulam, quicquid non est fundatum super apostolicam & propheticam doctrinam, tanquam super certum & immobile fundamentum?

Papistæ verò qui super traditiones ecclesiæ & pontificum decretales fidem suam ædificant, &

a Deut. 17.

b 2. Tim. 3.

c *Lib. 2. de Doct. Christ.*

d Ephes. 2.

spinosas scholasticorum disputationes plurimi faciunt, longè aliam rationem sequuntur. Nam vt fidei antiquæ leges, sic etiam doctrinæ fidei methodum & rationem mutarunt: aliíque Iebusæorum quædam dictata, alij Thomæ Aquinatis, aut aliorum scholasticorum summas & summulas, alij Petrum Lombardum studium Theologiæ primum auspicaturi in manus sumunt. Sunt etiam nonnulli, qui *Thomæ Aquinatis* doctrina leuiter degustata, aut ad casus, vt vocant, conscientiæ, aut ad ius canonicum se conferunt. Paucissimi verò reperiuntur, qui vel sacras scripturas, vel patrum commentarios studiosè legunt. Atque hoc aduersarij verum esse norunt, & [a] *Ferdinandus Vellosillus* episcopus Lucensis, vt seipsum appellat, ingenuè fatetur. Se enim in scholasticæ theologiæ, & iuris canonici explicatione sedecim annos versatum *nec scripturas, nec doctores vel à limine salutasse dicit.* Reliqui sanè non amplius vel scripturas, vel patres attingunt, quàm quantum ad scholasticam doctrinam intelligendam satis est.

[a] *In Præfat. in aduertentias theolog. scholast.*

At homines pij & orthodoxi, qui veræ theologiæ scientiam à papistis variè interpolatam & corruptam ad primas ecclesiæ leges reuocare conantur, longè aliam viam ijs, qui optatum finem in studijs suis contingere cupiunt, ingrediendam censent. Primas enim partes scripturis tribuunt, easque quotidie legendas & audiendas esse monent. [b] *Fides enim ex auditu est, & auditus per verbum Christi.* Christúsque nos, non pontificum decretales, sed [c] *scripturas scrutari iussit.* Illæ enim lucent [d] *tanquam lucerna in caliginoso loco.* Sic etiam

[b] Rom. 10.
[c] Ioan. 5.
[d] 2. Petr. 1.

patres ecclesiæ antiquissimi & scripturas diligentissimè scrutati sunt, & earum præsidio se aduersus hæreticos satis munitos putarunt. [a] Chrysostomus dicit *scripturam vtilem esse ad docendum, si quid vel discere, vel ignorare opus sit.* Et Augustinus lib.2. de Doctr. Christ. c.9. *in ijs* inquit, *quæ aperte in scripturis posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq́ue viuendi.* Ex scripturis ergo patres antiquissimi, & non ex decretis pontificum Rom. & multò minus ex philosophicis principijs, & fidem confirmarunt, & hæreses refutarunt. Ecclesiæ verò doctorum testimonia scripturis longè postposuerunt. *Quamuis* inquit [b] Hieronymus, *sanctus sit aliquis post apostolos, quamuis disertus sit; non habet authoritatem.* Et Augustinus: *ego* [c] inquit, *solis illis scriptoribus, qui iam canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, vt nullum eorum aliquid scribendo errasse audeam credere.* Et postea: *alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantáue doctrina præpolleant, non ideo verum putem quod scripserunt, quia ita senserūt, sed quia mihi vel per alios authores canonicos, vel probabiles rationes; quod à veritate non abhorreant, persuadere potuerunt.* [d] Athanasius denique: *ecce nos* inquit, *ex sacris literis iam fidenter loquimur de religiosa & pia fide; & quasi candelam super candelabrum collocantes hæc pronuntiamus.* [e] Idem dicit *hæreticos lapidandos esse sacrarum literarum argumentis.*

a Homil. 9. in 2. Tim. 3.

b In Psal. 86.

c Epist. 19. ad Hieron.

d Contra Arrianos orat. 2.

e Ibidem.

Scripturæ ergo nocte, dieque à theologo legendæ & versandæ sunt. *Est enim scriptura diuina,* vt ait [f] Athanasius, *magistra virtutis & veræ fidei.* Quando autem scripturas dicimus, eas intelligimus,

f De interpret. Psal.

mus, quæ quia regulam continent fidei & morum, rectè canonicæ vocantur: è quo numero nullum excipimus vel noui Testamenti librum qui Græcè extat, vel veteris, qui Hebraicè editus habetur. Quia verò scripturæ primò Hebraicè & Græcè conscriptæ sunt; ab illis qui Hebraicè & Græcè intelligunt in linguis illis legendæ sunt, & non tantùm in latina, aut alia lingua vernacula.

Sed quia non semper contingit, vt omnes hoc studium ingredientes Hebraicè & Græcè sciant, idcirco non parum iuuabit nouitios cum originali textu versionẽ latinam veteris Testamenti à Tremellio siue à Pagnino, noui testamenti à Theodoro Beza editam, aliásque vulgares nonnunquam versiones, quæ propiùs ad Hebraicæ & Græcæ linguæ phrasim accedunt, quàm latina, adiungere. Vtile etiam erit, quia totius fidei summa in symbolum apostolorum, legis summa in decalogum, rerum petendarum & deprecandarum summa in orationem dominicam contracta est; & fidei articulos, & legis summa capita, & orationis petitiones memoriter tenere, & singula rectè intelligere, & pias patrum in symbolum, legem & orationem dominicam expositiones legere. Sic enim tyrones in latissimis scripturarum spatijs decurrentes, quò singula referenda sunt, certiùs intelligent, & à fidei orthodoxæ tramite non facilè errabunt.

Neque miretur aliquis quòd scripturas sedulò legendas & euoluendas dixerim, idque sine glossis & commentarijs. Iniuriam enim fecerit spiritui

tui sancto, qui nullas scripturas sine interpretum auxilio intelligi posse dixerit. Præterea repugnat ille & scripturæ verbis, & interpretum sententiæ. Propheta enim *verbum dei pedibus nostris lucernam esse* [a] dicit. Sermonémque propheticum *lucernæ in loco caliginoso lucenti* comparat [b] Petrus. Et [c] Paulus: *si obscurum est euangelium* inquit, *ijs qui pereunt, obscurum est*. Similiter & scripturæ sacræ interpretes. *Hoc etiam prædico atq; præpono* inquit [d] Augustinus, *vt quæq; aperta & manifesta deligamus: quæ si in scripturis sanctis non inuenirentur, nullo modo esset, vnde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura.* Et epist. 3. *non tanta in scripturis difficultate peruenitur ad ea, quæ necessaria sunt saluti.* Epiphanius etiam omnia esse clara & lucida in diuina scriptura [e] affirmat.

[a] Psal. 119.
[b] 2. Petr. 1.
[c] 2. Cor. 4.
[d] Contr. epist. Petil. c. 5.
[e] Hæres. 69.

Si quæ autem primo aspectu difficiliora videbuntur, ea vel ex locis scripturæ similibus, vel ex antecedentibus & consequentibus, vel ex scopo & argumento illius loci, vnde oritur difficultas, vel ex vsitato modo loquendi, quo spiritus sanctus vti solet, intelligitur: Τὰ ἀμφίβολα καὶ ἐπικεκαλυμμένως εἰρῆσθαι δοκοῦντα inquit [f] Basilius ἐν ποσι τόποις τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, ὑπὸ τῶν ἐν ἄλλοις τόποις ὁμολογουμένων σαφηνίζεται. Hoc est, ambiguè & obscurè dicta in quibusdam locis sacræ scripturæ, ab ijs, quæ in alijs locis perspicua sunt, explicantur. Et [g] Ambrosius: *multa*, inquit, *obscuritas in scripturis. Sed si manu mentis tuæ scripturarum ianuam pulses, paulatim incipiens colligere rationem dictorum, & aperietur tibi non ab alio, sed à dei verbo, quia solus dominus Iesus in euangelio suo mysteria legis reuelauit.*

[f] Ascet. 267.
[g] In Psal. 118. serm. 8.

Et Augustinus denique: *magnifice* inquit, *& salubriter spiritus sanctus ita scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidium detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Neq; sanè nouum est, quod scripturæ dubios ad scripturas remiserim. Neq; enim quisquam melior est scripturæ interpres, quàm spiritus sanctus, quo authore illa edita est: nec verisimile est spiritum veritatis & sapientiæ, ita obscure esse loquutum, vt quisquam attente legens & ponderans scripturas ab eis falli & in errorem induci posit. Præterea cum difficultas omnis scripturæ oriatur fere, vel quia scopus & argumentum spiritus sancti ignoratur, vel quia vocabulum aliquod non intelligitur, vel quia inusitata occurrit translatio, vel quia Hebraicæ aut Græcæ linguæ phrasis nobis noua & ignota videtur, vel quia figura dicendi latet, vel quia translatio est intellectu difficilis, vel quia adhuc non assueuimus deum in scripturis loquentem audire, vel denique quia mores & ritus antiquos ecclesiæ, & populi dei, & aliarum gentium non didicimus: quis non intelligit omnes has difficultates crebra sacrarum literarum lectione superari posse?

Præter scripturas etiam canonicas legere debet theologus & libros ecclesiasticos, qui cum reliquis scripturis à vetere latino interprete coniuncti sunt, & à nonnullis apocryphi dicuntur. Eius generis sunt libri *Tobiæ, Iudith, ecclesiastici, sapientiæ, Machabæorum, Esdra 3. & quartus,* & fragmenta quædam latina ad codices originales addita.

addita. Libri enim isti, licèt non multum valeant ad dogmata confirmanda sine canonicorum librorum consensu; multa tamen continent ad morum reformationem, & historiæ ecclesiasticæ cognitionem scitu non inutilia, & à patribus non rarò citari solent.

Euoluenda sunt præterea patrũ scripta & commentaria, qui nonnunquam ex scripturis scripturæ mentem non malè colligunt. Nec contemnendæ sunt vel *Tremellij, Iunij, Vatabli & Bezæ* annotationes, vel postilla Liræ, glossa ordinaria & expositio interlinearis, vel denique recentiorum (modò orthodoxi fuerũt) commentaria & expositiones. Quæ enim nos ex lectione scripturæ videre non potuimus, ea ab istis admoniti clarè intelligemus.

Adiungenda sunt denique scripta illa, vnde ecclesiæ historiam cognoscere licet: cuiusmodi sunt *Eusebij, Theodoreti, Socratis, Sozomeni, Euagrij* libri. Neq; negligendus est vel Iosephus, vel Philo, vel Nicephorus & Zonaras. nam licèt multa contineant fabulamenta; nonnunquam tamen verum dicere solent. Postremò nec philosophi, nec poetæ nec gentilium libri omnino contemnendi sunt. Nam & hos ad scripturæ sacræ intelligentiam nonnihil nos iuuare posse, grauissimus author docet [a] Augustinus.

[a] *Lib. 2. de Doctr. Christian.*

Hæc autem non ita accipi volo, quasi ad singulos scripturæ locos, aut patrum commentaria, aut alias expositiones, aut postillatorum aceruum necessarium putarem; sed vt ibi tantùm adhibeantur, vbi magna versatur difficultas, & quando aduersarij aliam interpretationem afferunt. Præterea

non semper vel ethnicorum libri, vel ecclesiæ historiæ scrutandæ sunt, sed quando lucem rebus obscuris afferre possunt.

Neque tantùm ad scripturæ intelligentiam, sed etiam ad morum correctionem, rerumque vtilium suasionem prodest post scripturæ authoritatem etiam patrum, & historicorum, & ethnicorum sententias & exempla proferre. Quem enim non pudeat virum christianum, vel recta & honesta non sequi, quæ lumine rationis naturalis ethnici sequenda viderunt, vel turpia & scelera non fugere, à quibus ethnici saniores abhorruerunt? multum præterea mentes auditorum commouent sanctissimorum patrum dicta & exempla præsertim vbi hortamur, vel ad pietatem, vel ad mores. Multum etiam prodest aduersariorum scripta consulere & legere, illa præsertim, quæ antequam per indices expurgatorios antiquiores scriptores recentiores falsarij corrumpere cœperunt, edita fuerunt. Nam cum ex illis status controuersiæ, quæ inter nos & ipsos est, certius cognoscitur, tum nullum probationis genus ad improborum retundendam malitiam validius est, quàm quod ex ipsorum aduersariorum confessione ducitur. Nulla præterea victoria clarior aut illustrior censetur, quàm quando inimicis nostris iudicibus vincimus. Vnde & Moyses ex inimicorum testimonio probat Dei virtutem. *Non est,** inquit, *deus noster, sicut dij illorum, & inimici nostri iudices.* Si ergo nos vicissim dicere possimus religionem nostram non esse sicut hæresim papistarum, & inimici nostri iudices, nonne frangeretur Iebusæorum audacia? cognoscenda

* Deut. 32.

noſcenda eſt ergo ſynagogæ Rom. hiſtoria, & pōtificum Rom. legendi libri & decretales. Cognoſcendum eſt etiam ius canonicum & rapſodia *Gratiani*, & ſi quid vtiliter excerpi poſsit ex recentiorum conciliorum actis. Legendi ſunt deniq; ſcholaſtici, & eorum pater *Petrus Lombardus*, & libri illi, quos ſynagogæ Rom. patroni poſt impoſturas eiuſdem detectas ſcripſerunt.

Ne autem vel rerum varietas confuſionem pariat, vel effluat quod ſemel legimus & memoriæ mandauimus, maximè vtile erit quæcunque vel ad religionem pertinent, vel ad mores, ea in locos conijcere communes, & ad ſingulos locos, locorúmque capita, ſingula teſtimonia & exempla referre. Ita tamen, vt primum locum ſcripturis tribuamus, ex quibus ſolis arma aduerſus impietatem & improbitatem efficacia petuntur; deinde vt poſt ſcripturas deſcribamus teſtimonia patrum. Vbi, ſi opus eſt, diſtingui poſſunt acta conciliorum, & narrationes ex eccleſiaſtica hiſtoria à reliquis patrum ſcriptis. Tertium locum tribuemus dictis hominū politicorum & ethnicorum : quod fiet quando res nobis eam facultatem præbet. Poſtremum aſsignabimus confeſsionibus aduerſariorum.

Præter lectionem præterea neceſſarium erit doctores adhibere. Neque enim omnia nouitij, licèt alioqui in philoſophiæ & artium curriculo probè exercitati, per ſe poſſunt. Audiendi ergo ſunt theologiæ profeſſores, & verbi dei concionatores maximè inſignes, & percontandi ſunt illi,

quorum

quorum vſus & doctrina in rebus theologicis ſingularis videtur.

Poſtquam verò audiendo, & percontando, & legendo theologiæ ſtudioſi & ſcripturas intellexerint, & patrum eccleſiæ, aliorumque ſcriptorum eccleſiaſticorum libros euoluerint, ſibique præſidia omnia, quæ ad theologiæ ſcientiam neceſſaria videntur, compararint; tunc & in colloquijs priuatis, & in publicis diſputationibus, & concionibus ſeipſos exerceant. Neque tantùm dicendo, ſed etiam ſcribendo & veram fidem probare, & hæreſes refellere debent. Ad hæc ergo parati & instructi accedant; ſi theologorum officium tueri instituerint. Si autem in publicum prodire primis tyrocinij ſui temporibus timuerint; non inutile erit primò, priuatim aliquos docere. Docēdo enim alios non raro plus illi, qui alios docendos ſuſcipiunt, diſcunt & proficiunt, quàm qui ipſos audiunt, & ad diſcendum accedūt. Poſſunt etiam inter ſe aliquot adoleſcētes theologici ſtudij candidati periculum facere priuatim, antequam aliquod magnum opus publicè faciendum aggrediantur.

Atque hæc fere apoſtolus in epiſcopo & eccleſiæ paſtore poſtulat, vt nos in epiſtola ad Timotheum docet. *Dum venio* [a] inquit, *attende lectioni, exhortationi & doctrinæ.* Hæc itaque omnes theologiæ ſtudioſi attendere debent. Lectione enim & quæ neceſſaria ſunt diſcuntur, & facultas paratur docendi. in exhortatione verò & doctrina, officium pij doctoris conſumitur.

[a] 1. Tim. 4.

CAP.

Cap. IIII.

Quid in librorum lectione à theologici studij tyronibus vitandum.

TYrones tamen, si sapiunt, non temerè quoscunque libros primo suorũ studiorum tempore legere præsument. Neque enim qui hæreticorum & schismaticorum fraudes ignorant, & vix prima fidei orthodoxæ principia tenent, tutò in hæreticorum & schismaticorum castris versari solent. Inde enim non raro accidit, vt adolescentes imperiti huiusmodi hominum scriptis capti sint, atque ita aut ad hæreticorum praua dogmata delati sint, aut contendendi libidine elati ecclesiæ pacem turbarint, magnumque inimicis gaudium, & pijs scandalum dederint. Vitabunt ergo theologici studij tyrones, si me audient, & hominum impiorum & hæreticorum scripta: neque putabunt se de ijs iudicare posse, quæ non intelligunt. Non legent, inquam, aut impia scripta hominum atheorum, aut impura hæreticorum. Neque existimabunt se, vel ex *Petro Lombardo*, vel ex *Thoma Aquinate*, vel ex *Durando*, vel etiam ex decretis & decretalibus fidei dogmata haurire posse. Multò autem minùs illa vel ex *Eckio*, vel *Caietano*, vel *Roffensi*, vel *Alano*, vel *Gregorio de Valentia*, vel *Roberto Bellarmino* sumi possunt. Superiora enim illa multum fæcis admixtum continent. Posteriorum verò scripta veritatem apertè, & quasi ex professo oppugnant.

Ridicu-

Ridiculum est etiam ex commentarijs & postillis *Caietani, Eckij, Siluestri Prieratis, Rojardi, Feri, Toleti, Ariæ Montani, Stellæ, Pinti, Iansenij, Beuxamij, Pererij, Stapletoni,* & huiusmodi pestium, sanæ doctrinæ formam quærere. Omnes enim isti synagogæ Rom. turpissimos errores defendendos susceperunt, ijdemque tanquam lenones impuri meretricem magnam omnibus verborum lenocinijs exornare conantur. Si quid autem boni aliquando in eorum scriptis inerat, hoc omne falsarij per indices suos impudentissimè excogitatos expurgarunt.

Quid autem magis insanum, quàm veritatis testimonium à *Laurentio Surio, à Sandero, Copo, Ribadineira, Horatio Tursellino,* & *Cæsare Baronio,* petere? isti enim aduersus veritatem in pontificis Rom. gratiam scripserunt, varijsque fabulamentis, mendacijs & calumnijs ecclesiæ historiam corruperunt.

Primis ergo suorum studiorum temporibus & ante iudicium confirmatum adolescentes theologiæ studiosi nec *Lombardi* legent corruptas & malè contortas ex scripturis & patribus sententias, nec *Gratiani* impudentissimi falsarij rapsodias & centones, nec *Thomæ Aquinatis* aut Scoti reliquorumúe scholasticorum sophismata & ineptias, nec interpretum iuris canonici adulationis plenas glossas, nec *Roffensis, aut Alani, aut Stapletoni, aut Gregorij* de Valentia, aliorúmue sectæ papisticæ rabularum aduersus ecclesiam dei pugnas & rixosas disputationes. Nec *Copi,* aut *Sanderi,* aut *Rishtoni,* aut *Cæsaris Baronij* fabulatoris inep-

tissimi

rissimi mendacia & calumnias, nec postillas stercoreas *Prieratis, Granatẽsis, Royardi, Feri*, aliorúmque *Iebusæorum*, nec commentarios *Stellæ, Pinti, Iansenij, Pererij*, aut huiusmodi venena, nec promptuaria *Stapletoni* ex sterquilinio deprompta, nec vel exercitia *Iebusæorum* superstitiosa, vel opuscula *Granatensis* puerilia, nec libros resolutionis cœni & ineptiarũ plenas; nec preculas monachorũ superstitiosas, nec denique aliquod scriptum, quod papismi fermentum olet. Papistæ diligenter cauent, ne aliqua hominum orthodoxorum scripta ad suos perueniant. Iidem etiam maximis propositis pœnis populum à lectione librorum, quos nostri homines ediderunt, deterrent. Nihil est ergo quod ipsi reprehendant, aut ægrè ferant, quod hæc venena & pestifera scripta prohiberi velimus. Neque sane mirum videri debet, si hoc theologiæ studiosis præscribamus. Quis enim vel sine periculo ædes pestilentes ingredi, vel tutò venena tractare potest, qui non antea antidotis munitus illa in manus sumit? non legent præterea libenter schismaticorum libros, cuius generis in manibus multorum versantur plurimi vel à disciplinarijs, vel à Donatistis, & Anabaptistarum discipulis editi. Nam qui frequenter leprosos adeunt, & cum eis libenter versantur, eorum sibi scabiem plerumque affricant.

Inutiliter denique patrum commentarios ab ijs perlegi censeo, qui sine delectu omnes patrum libros perlegunt, nec ad alicuius vel loci explicationẽ, vel quæstionis dijudicationem, quæ maximè apta videntur, eligunt. Antequam ergo vel ad

ad scripturæ explicationem, vel ad controuersiæ alicuius examinationem peruentum erit, patrum scripta potius degustanda, quàm diligenter excutienda & perlegenda censeo.

Cap. V.

Qui libri à theologiæ studiosis potissimùm legendi, & quo ordine.

NOn tamen hæc in eam partem accipi volo, quasi vel nefas esse putem aduersariorum scripta in manus sumi, vel metuam causæ nostræ examen; sed quod nolim ea legi ab eis, qui propter infirmitatem iudicij facilè quamuis noxiam opinionem imbibunt, & huiusmodi venena acutè discernere & examinare non possunt. Ab ijs autem qui aliquot annos in studiorum theologicorum curriculo versati sunt, magno cum fructu legi posse iudico. Valde enim confirmatur nostra fides, quando videmus aduersarios nihil habere solidi quod opponant, & intelligimus *Bellarmini* & *Baronij* & sociorum causam absque scripturæ deprauatione, patrum adulteratione, imposturisque, fraudibus & calumnijs apertissimis stare non posse.

Ad patrum verò lectionem omnes hortor. inde enim videre licet, qua fraude & violentia patrum testimonia ab aduersarijs contra eorum sententiam torqueantur. Sed tunc eorum scripta in manus summi cupio, quando maximè prodesse possunt. Præterea eo modo & ordine legi volo, quem ad veritatis confirmationem, & falsitatis euersio-

euersionem experientia edoctus maximè vtilem & efficacem esse comperi.

Sed primò theologi scripturas canonicas accuratè legere debent. nam hoc omnium est christianorum, scripturas diligenter legere & audire. *In mandatis tuis exercebor* inquit [a] propheta, *& considerabo vias tuas*. Et [b] Dominus postulat, vt *lex sua sit populo suo in ore semper.* Maximè verò hoc ad theologiæ studiosos pertinet, qui alios docendi munus in se suscipere instituunt. Legant ergo primò scripturas noui & veteris testamenti, easque ad certa capita referant. Summa verò capita partim in lege continentur, partim in symbolo fidei. Hæc itaque & exactè tenenda sunt, & danda opera est, vt omnes scripturæ ad certa loca referantur. Scripturæ vero aut per se claræ sunt, vt quæ continent præcepta morum, & præcipua capita fidei christianæ, aut obscuræ. Illæ facilè intelliguntur: istæ, licèt primo aspectu difficiles videantur; tamen vel ex locorum collatione, & eorum consideratione, quæ diximus, vel interpretum auxilio & opera intelligi possunt. Ad locorum ergo obscuriorum intelligentiam nonnunquam consulenda sunt patrum commentaria, nonnunquam ad annotationes & expositiones piorum doctorum nostri temporis recurrendum est. Ridebunt quidem aduersarij, quando intelligent nos, tyrones in hoc studio ad scripta *Lutheri, Zuinglij, Caluini, Melancthonis, Pomerani, Bullingeri, Petri Martyris, Buceri, Oecolampadij, Musculi, Gualteri, Bezæ*, aliorúmque orthodoxorum remittere. Sed rident illi & deum, & sanctam Christi religionem. Hoc sanè certum

[a] Psal. 119.
[b] Exod. 13.

certum est ipsos ad *Origenis* & *Ambrosij* patrúmq; commentaria multa addidisse, scripturarumque sententiam literalem fideliter exposuisse. Quod & ipsorum aduersariorum testimonio liquet. nam quicquid vel *Caietanus*, vel *Ferus*, vel *Toletus*, vel *Arias Montanus*, vel *Pererius*, vel *Pintus*, vel *Iansenius*, vel *Stella*, vel alius ex omni aduersariorum numero interpres opportunè dixit, aut ad scripturæ aliqua loca annotauit, hoc ferè omne, licet ipsi hoc negent, & dissimulent, ex nostrorum hominum commentarijs transtulisse videntur, vt ex locorum collatione facilè colligere licet.

In lectione verò interpretum hæc diligenter obseruanda sunt. *Primò* non temere sequendæ sunt vel veterum, vel recentiorum interpretationes propter ipsorum authoritatem, sed quia cum scripturæ sententia optimè conueniunt. Sin autem aut violentæ videantur, aut cum scripturis & regula fidei pugnent, reijciendæ sunt. *Secundò* non leuiter omnes interpretationes reijciendæ sunt, quæ in patrum commentarijs non habentur, modo ex sacræ scripturæ verbis deduci possint. Non semper enim patres literaliter scripturas exponunt, nec ita se probari voluerunt, vt excludant cæteros. *Tertiò* vt non sint contemnendæ veteris ecclesiæ traditiones & mores, ita grauiter delinquunt, qui traditiones eas pari affectu cum sacris scripturis recipiunt, & eas conclusionibus ex scripturis deductis aut æquant, aut anteponunt. *Quartò* ridiculum est scripturæ sensum ex decretalibus pontificum Rom. suspendere, aut nullum sensum probare, nisi quem synagoga Rom. docet.

Quintò

Quintò pontificum Rom. glossis & expositionibus longè anteponenda sunt veterum patrum commentarij & interpretationes. *Sextò* vbi interpretum discordes sunt sententiæ, illæ interpretationes maximè probandæ sunt, quæ ex litera scripturæ deducuntur, & cum priscæ ecclesiæ praxi maximè consentiunt. *Septimò* non semper pro scripturæ sensu recurrendum est ad interpretes, multa enim per se lucent, nec egent interpretum illustratione. *Postremò* vt scripturis solis fidem habere debemus sine vlla disquisitione, sic hominum commentarijs & interpretationibus non aliter confidere debemus, nisi quatenus ex scripturis demonstrari possunt.

Post scripturas verò canonicas legi possunt libri *Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, liber etiam tertius & quartus Esdræ*, & fragmenta illa, quæ in vetere latino interprete ad reliquum bibliorum sacrorum corpus attexta sunt. Libros enim illos, licèt non omnino pares essent canonicis scripturis, ecclesia tamen legi voluit, quia multa continent, & ad morum correctionem opportuna, & ad historiam illorum temporum cognoscendam non inutilia. *Legi voluerunt*, inquit author expositionis fidei apud Cyprianum, *in ecclesijs, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam*. Inde etiam patres testimonia plurima desumpsisse leguntur.

Tertium verò locum ijs tractatibus tribuimus qui vel à patribus, vel ab hominibus orthodoxis nostri temporis de fidei doctrina, aut aliquo eius doctrinæ capite edita sunt. In hoc numero po-

nendæ sunt *Lactantij* diuinæ institutiones, *Athanasij* de verbi incarnatione, & alia opuscula nonnulla, *Nazianzeni* orationes de theologia, *Ambrosij* libri de fide, *Hieronymi* epistolæ plurimæ in quibus quæstiones variæ de fide explicantur, *Augustini* libri de ciuitate dei, de doctrina christiana, de vera religione, de catechizandis rudibus, de fide ad Petrum, & quæ sunt eiusdem argumenti. Addi etiam potest eiusdem enchiridion ad *Laurentium*, & scriptum *Damasceni* de fide orthodoxa, & si quod aliud eiusdem generis habeatur apud patres. Hæc autem tunc maximum fructum afferunt, cum non à capite operum alicuius authoris leguntur, sed ad explicationem alicuius dogmatis, quod à papistis, alijsque hæreticis in controuersiam vocatur, adhibentur. Ad hunc locum denique pertinent *Melancthonis* & *Musculi* loci communes, confessiones fidei ab ecclesijs reformatis editæ, *Zanchi* libellus de doctrina christiana, eiusque opuscula miscellanea, *Caluini* institutiones, & si quæ alia eius generis scripta ab hominibus orthodoxis edita fuerint.

Quartum locum occupant historiæ ecclesiasticæ, multum enim valet ad mores ecclesiæ reformandos, & superstitiones antiquandas ecclesiasticæ historiæ notitia. Cum patrum ergo tractatibus de fide coniungent etiam theologiæ candidati historias ecclesiasticas *Eusebij*, *Ruffini*, *Socratis*, *Theodoreti*, *Sozomeni*, *Euagrij*, & *Nicephori*. Legent etiam *Epiphanij*, & *Augustini* libros de hæresibus, vt hæreses cauere discant, actáque & canones conciliorum vetustissimorum, præsertim quæ

apud

apud probatos authores exiſtant, & non tantùm in conciliorum tomis recenter editis continentur. Hæc enim vt plurimùm ſuſpecta ſunt, nonnunquam apertè corrupta videntur. Cum iſtis coniungere licet centurias *Magdeburgenſium*, *Functium*, *Sleidanum*, & licèt reclament papiſtæ & ringantur, acta martyrum *Galliæ*, & *Ioannis Foxij locupletiſſimos commentarios*, & huiuſmodi ſcripta fide digna. Ex eis enim *Cæſaris Baronij*, qui vt olim *C. Iulius Cæſar* decem militum legiones aduerſus remp. ſic decem mendaciorum legiones aduerſus eccleſiam inſtruxit, *Onuphrij*, *Laurentij Surij*, *Auguſtini Stenchi*, *Platinæ*, *Anaſtaſij*, & eius farinæ hominum, qui pontificibus Rom. omnia aſſentari ſolent, & meritorium eſſe putant pro cauſa ſynagogæ Rom. mentiri, luculentiſsima mendacia & fabulamenta homines ſagaces deprehendere & refellere poterunt.

Quinto loco ſequuntur ſcripta aduerſus hæreticos & homines impios edita, ſiue illa patres antiquos, ſiue noſtri temporis homines orthodoxos authores habuerint. Neque enim plus iuuat ſcire, quid olim *Irenæus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Athanaſius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, & alij antiqui patres aduerſus *Marcioniſtas*, *Collyridianos*, *Pelagianos*, *Arrianos*, alioſque priſcos hæreticos, quàm quid recentiores authores aduerſus nuper pullulantes *Arrianos*, *Manichæos*, *Collyridianos*, *Pelagianos* & *Papiſtas*, & eius generis hæreticos ſcripſerunt. Neque enim aliud eſt Papiſmus, quàm Pelagianiſmi, Manicheiſmi, aliarumque hæreſeon farrago. Ad hæreſes præterea

rea apertam impietatem & idololatriam addidit secta ista. Diligenter ergo & *Lutheri*, & *Zuinglij*, & *Caluini*, & *Petri Martyris*, & *Cranmeri martyris*, & *Chemnitij*, & *Iuelli*, & *Fulkij*, & *Sadeelis*, & *Bezæ*, & *Whitakeri*, & *D. Philippi Mornæi*, & *Raimoldi* nostri aliorumq; christi ecclesiæ athletarum doctissimæ disputationes legendæ & cognoscēdæ sunt.

In patrum vero scriptis cauendum primò, ne titulis decepti adulterinos pro veris probemus. *Deinde* ne codices recentiores à synagogæ Rom. falsarijs varie mutatos, & interpolatos, & planè corruptos simpliciter admittamus, nisi quatenus ex lectione antiquorum codicum confirmātur. *Tertiò* ne patres Græcos à sectæ pontificiæ hominibus in linguam latinam versos sine diligenti examinatione legamus, vbi Græca exemplaria haberi possint. *Quartò* ne patrum errores sine iudicio sequamur. *Quintò* ne omnes putemus vnum & idem sensisse, quia nonnunquam duo aut tres consentiunt. *Sextò* ne patrum dicta temerè rejiciamus, quia primo aspectu malè sonare videntur. Candide enim interpretanda sunt dicta patrum. *Postremò* ne hominum incerta iudicia & scripta scripturis authenticis paria faciamus.

Post scripturas denique & scripta ecclesiastica patrum, & hominum recentiorum orthodoxorum cōmentarios & tractatus siue de fide, siue de moribus, & post historias ecclesiasticas, & libros piorum doctorum aduersus idololatriam & hæreses vel olim, vel recenter editos, tutò legere licet, & *Lombardi* sententias, & *Thomæ Aquinatis* & *Scoti* & *Bonauenturæ* & *Durādi* aliorumque scholasti-

corum

corum degeneres & cum philoſophiæ & iuris pontificij fermento commixtas & conſpurcatas tractationes & commentationes. Licet etiam percurrere *Gratiani* centones & pontificum Rom. pſeudepigraphas epiſtolas, totúmq; ius vt dicitur canonicum cum gloſsis & commentarijs canoniſtarum. Hîc etiam locum habere poſsunt acta conciliorum mendoſa vel à *Petro Crabbe*, vel ab alijs in lucem edita,& Legendæ ſynagogæ Rom. & huiuſmodi fabulamenta & mendacia. Legi etiam poſſũt & *Silueſtri Prieratis* & *Antonini ſummæ*, & *Hoſij & Hardinghi* & *Sanderi & Aloni* & *Gregorij de Valentia* & *Bellarmini & Stapletoni* & huiuſmodi peſtium venena, quæ ipſi aduerſus veritatem effuderunt. Neque negamus lectionem vel *Surij*, vel *Cæſaris Baronij* cum ſuis mendaciorum & legendarum legionibus,vel *Iacobi de Voragine*, vel *Horatij Turſellini*, aut alicuius legendarij aut fabulatoris inſpectionem. His denique addi poſſunt aduerſariorum purulentæ poſtillæ, & commentarij multiplici hæreſeôn & ſuperſtitionum fæce corrupti & commaculati. Neque enim periculum eſt, ne eorum fides, quæ ſupra ſcripturas, tanquam ſuper immobilem petram fundata eſt, vacillet propter falſariorum corruptelas & mendacia. Imo contrà multum veritatis ſtudioſos in fide confirmabit quando videbunt illos ſcripturis vim afferre,patres lacerare, noua deliramenta defendere, bonos viros calumniari, apertè mentiri,& non cum alijs tantum, ſed cum ſeinuicem digladiari. Aliquando etiam cernent ipſos papiſtas in maximis controverſijs claram pro no-

stra sententia confessionem edere. Ex comparatione denique *Lombardi* cum scholasticis, & scholasticorum cum recentioribus scriptoribus, & horum omnium cum patribus antiquissimis; reperient quibus gradibus antichristus, eiúsque asseclæ veteris theologiæ finibus & rationibus mutatis fidem adulterarunt & confusionem Babylonicam in ecclesiam introduxerunt. Patres enim in certamine fidei ad scripturas semper tanquam ad asylum confugerunt, neque ex alijs principijs illi hæreticos profligarunt. maiorum verò suorum nomina ne citarunt quidem, nisi quãdo hæretici ad patres prouocarunt. De pontificum Rom. præterea decretalibus mirum est apud eos silentium. *Petrum* verò *Lombardum* longè aliam rationem sequutum videmus. Is enim nonnunquam pontificum Rom. decretales citat, & patrum testimonia penè sacris scripturis æquat. solùm hoc habet boni, quod philosophiæ fermentum rebus theologicis non admiscet. At eius discipuli vocem pontificis Rom. tanquam ipsius Christi venerantur, ijdémque à principijs philosophicis & verbis *Aristotelis*, aliorúmque philosophorum non minus, quàm à Dei oraculis argumentantur. *Thomas Aquinas* in 1.2. & secũda secũdæ summæ theologiæ conclusiones plurimas tenet philosophicas. Eandémque rationem sequuntur reliqui omnes scholastici. At nunc *Iebusæi*, qui in bello papali antesignani videntur, reliquíque causæ pontificiæ actores nec patres, nec philosophos vnius assis faciunt, vbi contrariam sententiam tenent pontifices Rom.

Ex

Ex origine verò iuris canonici, quod Gregorium nonum, Bonifacium octauum, Clementem quintum, Ioannem 22. & recentiores pontifices Rom. authores habet, agnoſcimus eorum tyrannidem nouam eſſe. Idem etiam ex hiſtoria eccleſiæ liquet. Nihil denique magis vel aduerſarios vrit, vel noſtram cauſam confirmat, quàm quod ex ipſis cauſæ pontificiæ patronis conſtat eam abſque perfidia, mendacio, & violentia ſtare non poſſe.

CAP. VI.

De locis theologicis eorúmque numero & ordine.

SED quia *frequens lectio carnis eſt afflictio,* vt inquit [a] eccleſiaſtes, & nullus libenter multum laborat, niſi multum vtilitatis inde ſperet; ratio aliqua ineunda eſt, vt ex vigilijs & laboribus noſtris in lectione frequenti exantlatis debitos & dignos fructus percipiamus. Hoc autem conſequuturi videmur, ſi poſt primam ſcripturarum lectionem, & patrum, aliorúmque authorum, quos diximus, ſcripta leuiter deguſtata, ea omnia, quæ vel in ſcripturis, vel patribus animaduerſione digna videbuntur ad certos locos & capita reuocemus, & in libro aliquo deſcribamus.

[a] Eccleſ. 12.

In locis verò communibus hæc potiſsimum ſpectanda ſunt, primum vt certum numerum locorum nobis conſtituamus, ad quos omnia referantur, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad mores. Deinde vt eos modo & ratione certa tractemus. Et poſtremò vt quæ vtilitas ex teſtimonijs & exemplis in ſuos locos digeſtis & diſpoſitis proue-

niat demonstremus. Qua in re, ne alijs leges nouas præscripsisse videamur; non tantum quid nos probemus, sed etiam quid viri docti & pij ante nos sequuti sint, ostendemus. Neque enim vel antiqui, vel recentiores ecclesiæ doctores, vel in numero, vel in ordine locorum theologicorum consentiunt.

Augustinus in enchiridio ad *Laurentium* tractat primò de theologia in genere, seu de vera sapiētia, quæ in vero dei cultu posita est. 2. de fide, spe, & charitate, in quibus Dei cultus consistit. 3. de creatione mundi & causis boni & mali. 4. de peccato *Adami*, lapsu malorum angelorum, & libero hominis arbitrio. 5. de *Christo* mediatore & ejus incarnatione. 6. de regeneratione. 7. de peccato originali & actuali. 8. de *Ioannis* Baptismo. 9. de resurrectione & ascensione Christi. 10. de iudicio vltimo. 11. de spiritu sancto. 12. de ecclesia. 13. de bonis angelis & nostra cum eis reconciliatione. 14. de peccatorū remissione. 15. de purgatorio, an sit. 16. de eleemosyna. 17. de vario peccatorum genere & pœnitentia publica. 18. de peccato in spiritum sanctum. 19. de resurrectione carnis. 20. de vita æterna. 21. de omnipotentia Dei. 22. de gratia & prædestinatione sanctorum. 23. de voluntate Dei. 24. de præscientia Dei. 25. de voluntate humana. 26. de statu animarum post mortem. 27. de oratione dominica. 28. de charitate. 29. de baptismo. Hinc ergo conijcere licet *Augustinum* sequutum esse in plurimis locis ordinem symboli, & reliqua ferè ex occasione adiecisse.

In libro verò de fide ad *Petrum Diaconum*, *Augustinus*, si modò liber ille sit Augustini, hunc ordinem mutasse videtur. Nam ibi disserit *primò* vnum esse Deum & tres personas, & ea tractat quæ ad essentiam & naturam Dei attinent. *Secundo* agit de æterna filij ex patre generatione, & spiritus sancti à patre & filio procesſione. 3. de incarnatione filij Dei 4. de vna in Christo persona, & duabus naturis sine confusione in ea manentibus. 5. de Christo in omnibus veterum sacrificijs figurato, & humanitate Christi nunquam à verbo dimittenda. 6. de natura angelorum & hominum primorum, & omnium creaturarum, cum ante lapsum, tum postea. 7. de originali peccato & damnatione eorum, qui absque baptismo moriuntur. 8. de resurrectione. 9. de necesſitate fidei, baptismi, & pœnitentiæ. 10. de gratia Dei necessaria ad conversionem & bona opera. 11. de vniuersali Dei notitia. 12. de prædestinatione, & prædestinatorum beatitudine. 13. de baptismo & eius effectu. 14. de peccati generali contaminatione. 15. de abstinentia à cibis & nuptijs. 16. de ecclesia denique, in qua sunt boni & mali.

Ioannes Damascenus in libris de fide, agit *primò* de sacra scriptura. *Deinde* de vno Deo & tribus personis, deique natura & attributis. 3. de mundi creatione, angelisque bonis & malis. 4. de de creaturis visibilibus. 5. de paradiso, & de homine, eiusque partibus, partiumque secundum varia tempora facultatibus. 6. de Dei prouidentia, præscientia, & prædestinatione. 7. de reparatione hominis per Christum. 8. de Christi incarnatione, duabus in

in Christo naturis,& vna persona. Item de morte & descensu Christi ad inferos, eiusdemque ascensione in cœlos. 9. de fide & baptismo. 10. de eucharistia. 11. de antichristo. Et postremò de resurrectione mortuorum,& vita æterna.

Philippus Melancthon, cuius locos Lutherus valde probauit, in primo loco de vno Deo agit & tribus personis, patre scilicet, filio & spiritu sancto. in 2. de rerum creatione, conseruatione & gubernatione. in 3. de causa peccati & contingentia in rebus. in 4. de libero hominis arbitrio & viribus naturæ humanæ. in 5. de peccato cum originali, tum actuali. in 6. de lege Dei. in 7. de euangelio. in 8. de gratia & iustificatione. in 9. de bonis operibus. in 10. de discrimine veteris & noui testamenti. in 11. de peccato mortali & veniali. in 12. de ecclesia, eiúsque signis. in 13. de sacramentis. in 14. de prædestinatione. in 15. de regno Christi. in 16. de resurrectione mortuorum. 17. de spiritu & litera. in 18. de cruce. in 19. de oratione. in 20. de magistratu. in 21. de cæremonijs ecclesiæ. in 22. de mortificatione carnis. in 23, de scandalo. in 24. & postremo de libertate Christiana.

[a] *In institutionibus relig.*

[a] *Caluinus* totam Christianæ religionis summam vel in cognitione dei creatoris, vel in cognitione dei redemptioris, vel in modo percipiendi gratiam Christi, vel denique in externis medijs ad salutem requisitis positam putat. Atque ad hæc summa capita reliqua omnia religionis christianæ dogmata refert.

[b] *In loc. commun.*

[b] *Musculus* primum locum tribuit tractatui de dei essentia & tribus personis. *Deinde* agit de creatione

tione angelorum & hominum, quorundámque angelorum & primi hominis casu. 3. de libero arbitrio & de peccato. 4. de decalogo & alijs legibus. 5. de nouo & veteri testamento. 6. de gratia dei. 7. de redemptione generis humani. 8. de sacris scripturis & ecclesiæ ministerio. 9. de fide. 10. de electione & reprobatione. 11. de pœnitentia. 12. de iustificatione. 13. de meritis & operibus bonis. 14. de remissione peccatorum 15. de sacerdotio noui testamenti. 16. de ecclesia. 17. de sacramentis in genere. 18. de baptismo & cœna domini. 19. de missa papistica. 20. de vero & falso dei cultu. 21. de noua doctrina & traditionibus hominum. 22. de nomine & natura dei. 23. de sufficientia & omnipotentia dei. 24. de voluntate dei. 25. de veritate, bonitate, & amore dei erga homines. 26. de misericordia dei. 27. de potestate ac dominio dei. 28. de iustitia dei. 29. de prouidentia & præsentia dei. 30. de ira & iudicijs dei. 31. de cognitione dei. 32. de spe & desperatione. 33. de dilectione & timore dei. 34. de obedientia. 35. de oratione & votis. 36. de afflictionibus & persecutionibus & patientia. 37. de hæresi & schismate, & postremò de magistratibus.

Petrus Lombardus in libris *sententiarum* vulgò dictis non longè à Damasceni vestigijs recedens loquitur *primò* de deo, seu de dei essentia. *Deinde* de trinitate, patre scilicet, filio, & spiritu sancto, & de modis loquendi de vna dei essentia & tribus personis. 3. de scientia & præscientia dei. 4. de prouidentia dei. 5. de prædestinatione. 6. de omnipotentia dei. 7. de voluntate dei. 8. de creatione

&

&rebus creatis.9 de angelis bonis & malis. 10.de cœlo,aqua,terra,& animalibus. 11.de hominis natura & ante lapsum, & post lapsum. 12. de libero arbitrio & hominis volũtate.13. de gratia. 14. de peccati partibus & causis. 15.de Christi conceptione,natiuitate, duabus naturis, vna persona, sapientia & naturæ humanæ in christo qualitatibus. 16.de Christi passione & morte & salutaribus eius effectis. 17.de fide,spe, & charitate. 18.de iustitia, fortitudine, prudentia & temperantia. 19.de donis spiritus sancti, virtutúmque omnium inter se connexione. 20. de decalogo. 21. de legis & euangelij discrimine. 22. de natura sacramenti & differentia sacramentorum veteris & nouæ legis. 23.de baptismo. 24. de confirmatione. 25. de eucharistia. 26. de pœnitentia & eius partibus, & de purgatorio. 27. de vnctione extrema. 28.de ordine. 29.de sponsalibus,coniugio & diuortio. 30.de resurrectione mortuorum. 31. de iudicio extremo. 32. de receptaculis animarum post mortem. 33. de gloria piorum in futuro seculo. Et *postremo* de pœnis impiorum & sceleratorum.

Hunc quoque aliqua ex parte sequutus videtur *Thomas Aquinas* in *summa theologiæ*. Sic enim ille sua sophismata & disputationes matæologicas inscripsit. Nonnihil verò de suo addidisse videtur. De cognitione dei acturus, quam in sacris scripturis contineri certum est, primò quæstiones quasdam proponit de sacra scriptura. Sed eam leuiter attingit, vtpote qui ex philosophiæ principijs & pontificum Rom. placitis non minus, quàm ex verbis scripturæ argumentando procedit. *Deinde*

in

in prima parte summæ agit de deo: in secunda de motu rationalis creaturæ in deum (nam sine christo ille fortasse putauit creaturas per virtutes moueri in deum) in tertia parte de christo disserit, per quem tenditur in deum. Rursus in prima parte quærit *primò* de deo, an sit, 2. de dei simplicitate, perfectione, bonitate, infinitate, existentia in creaturis, immutabilitate, æternitate & virtute. 3. de cognitione & visione dei. 4. de nominibus dei. 5. de scientia dei. 6. de ideis. 7. de veritate dei. 8. de vita dei 9. de voluntate dei. 10. de amore dei. 11. de iustitia & misericordia dei. 12. de prouidentia dei. 13. de prædestinatione. 14. de libro vitæ. 15. de potentia dei. 16. de beatitudine dei. 17. de processione diuinarum personarum (ita enim loquitur, licet pater à nullo procedat.) 18. de relationibus diuinis. 19. de personis diuinis, vbi de patre, filio, verbo, imagine patris, de nominibus spiritus sancti, de comparatione personarum ad essentiam dei, & personis in comparatione ad relationes & actus notionales, & de æqualitate & similitudine personarum ad se inuicem multa verba facit. 20. de creatione rerum. 21. de causa mali. 22. de angelis bonis & malis, & eorum existentia in loco, & de cognitione & voluntate eorum, & de pœnis angelorum malorum. 23. de creatione naturæ corporeæ. 24. de vnione rationalis animæ ad corpus, & de eiusdem potentijs. 25. de voluntate & libero arbitrio. 26. de statu primi hominis, & de paradiso. 27. de actu & ordinatione & missione angelorum. & *vltimò* de propagatione hominis.

In

In secunda parte summæ suæ agit *primò* de virtutibus & vitijs in genere, & secundò de eisdem in specie, sed prolixè, & confusè, & vitiosè.

In tertia parte tractat *primò* de Christi incarnatione, rebus gestis, passione & morte: *deinde* de sacramentis: *& postremò* de resurrectione, & ijs quæ eam consequuntur. Quæ autem ipse morte abreptus non potuit, hoc alius suppleuit. Nos autem singulorum capitum & articulorum secundæ & tertiæ partis *summæ Thomæ Aquinatis* descriptionem & recensionem, quia in hoc compendio vix capi posse videntur singula, omittimus. Vos omnia sigillatim ab ipso, si libet, petere poteritis. Qualem autem ordinem in rerum theologicarum tractatione secutus sit, ex ipsius magistro Petro Lombardo & Damasceno conijcere licet. Nam præter nouas & inutiles, & vt plurimum insulsas quæstiones & additiones, nihil habet *Thomas* nisi quod ab ipsis videtur translatum. Hunc tamen nunc omnes nostri & veritatis aduersarij certatim sequi solent, tanquam scholasticæ matæologiæ singularem ordinatorem & architectum.

Ex istis optima quæque theologiæ studiosi delibare possunt. Si quæ autem alicubi desint; ea supplebunt ex reliquis; si quæ redundent, caresecabunt. Sin autem aliqui quærant, quos locos theologicos, & quem in locis illis digerendis ordinem nos ipsi maximè probemus: sciant ipsi nobis authores illos maximè placere, qui in paucissimos locos omnem theologiæ thesaurum contraxerunt, & illum ordinem probari maximè, qui primum locum tribuit scripturis siue verbo dei (inde enim

omnis

omnis doctrina ad salutem necessaria peti potest) secundum deo, Tertium rerum creationi & creaturis, quartum ecclesiæ, quintum legi, sextum euangelio, septimum sacramentis, vltimum extremo iudicio. Nullum est enim religionis christianæ dogma, quod non in vnum aliquod horum locorum incidit.

Cap. VII.

De locorum communium tractatione.

QVoniam verò non satis est locos theologicos inuenire & ordine certo digerere, nisi certò sciamus quomodo loci singuli articulatim tractandi sunt; idcirco de modo & ratione tractandi locos communes nonnihil addendum videtur. In loco ergo de scriptura siue de verbo dei ostendemus *primò* verbum dei, quod nunc omnes probare & sequi tenentur, tantùm contineri in scripturis Canonicis veteris & noui Testamenti. 2. illud diligenter esse audiendum & legendum. 3. illud non ab hominum decretis authoritatem habere, sed ab ipso deo. 4. ex auditu & lectione scripturæ sacræ fidem gigni & mores reformari. 5. codices bibliorum originales magis esse authenticos, quàm versionem latinam à conuenticulo *Tridentino* approbatam. 6. versionem latinam bibliorum, quæ vulgata dicitur, non esse vbique authenticam. 7. scripturas in linguas vernaculas esse vertendas, vt eas passim Christiani legere, & publicè lectas intelligere possint. 8. scripturas publicè non esse legendas in lingua populo christiano, qui

ad

ad eas audiendas conuenit, non intellecta. 9. scripturas ita esse claras & perspicuas, vt eas omnes christiani vtiliter legere possint. 10. singulas ecclesias ecclesiarúmque episcopos potestatem habere interpretandi scripturas. 11. synagogã Rom. non esse optimã interpretem scripturarum. 12. non habere eam summam potestatem iudicandi de sensu scripturarum. 13. scripturas continere omnia dogmata ad salutem necessaria. 14. traditiones non scriptas non esse pari affectu recipiendas, ac verbum dei. 15. libros *Tobiæ*, *Iudith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, tertium & quartum *Esdræ*, duos libros *Machabæorum*, fragmentáque quæ ad codices originales attexuntur à veteri bibliorum interprete latino, non mereri parem fidem & authoritatem cum canonicis scripturis. 16. ex verbo dei haberi dei cognitionem, & scientiam ad salutem necessariam.

2. In loco de deo, cuius omnis vera notitia ex scripturarum scientia comparatur, docebimus *primò* deum esse aduersus atheos; idque non tantum ex scripturis, sed etiam ex operibus dei, & rationis luce. *Secundò* hunc deum vnum esse & trinum. 3. & filium, & spiritum sanctum verum esse deum patri consubstantialem, & coæternum. 4. deum esse spiritum. 5. esse ipsum perfectissimum. 6. esse omnis bonitatis fontem. 7. esse immutabilem. 8. esse infinitum. 9. esse æternum. 10. ipsum omnia scire. 11. esse ipsum verum, & veritatis fontem. 12. eius voluntatem esse omnium rerum causam. 13. non esse ipsum causam peccati. 14. esse ipsum iustum & scelerum vindicem.

15. esse

15. esse misericordem erga omnes. 16. ipsum ante mundi fundamenta iacta alios elegisse, alios reprobasse. 17. deum electos in libro vitæ scripsisse. 18. esse omnipotentem. 19. esse beatum & beatitudinis fontem. 20. esse totius mundi creatorem & dominum. 21. ipsum omnia videre curare & regere. 22. dei essentiã oculis corporeis videri non posse. 23. in cognitione dei sitam esse salutem & vitam æternam. 24. ipsum esse supra omnia amandum. 25. deo soli religionis cultum esse exhibendum. 26. ipsum asiduè esse colendum, idque quomodo ipse præscripsit. 27. deum in cultu inuocationis & confessionis & laudis socios non admittere. 28. ipsum ecclesiam suam curare, amare, tueri. 29. ipsum ecclesiam ex omnibus periculis tempore opportuno eripere. 30. ipsum fideles gratuitò vocare, iustificare, glorificare. 31. ipsum benedicere timentes se, eosque in angustijs positos consolari & liberare. 32. ipsum præmijs homines pios afficere, ipsum denique odio habere iniquitatem, & homines impios & in hac vita & in futura punire.

In loco de creatione & creaturis ostendendum erit primò, & mundum & omnia quæ in mundo sunt, cum visibilia tum inuisibilia à deo esse creata. 2. angelos siue creaturas inuisibiles esse spiritus ministratorios pro salute electorum. 3. ordines esse & gradus angelorum, sed ex verbo dei non constare, quot sint, vel quæ sint singulorum graduum distincta officia. 4. angelos nonnunquam corpora assumere, licèt incorporei sint. 5. diabolos primò fuisse bonos angelos, sed culpa sua cecidisse.

diffe. 6. non esse adorandos aut inuocandos vel malos, vel bonos angelos. 7. malos angelos nunquam esse reparandos, aut saluandos. 8. mundum non esse creatum ab angelis aut virtutibus creatis. 9. non fuisse omnia in eodem instanti, aut eodem die condita. 10. animas hominum nec à principio fuisse creatas simul, neque nunc ex traduce oriri. 11. hominem creatum fuisse rectum & iustum. 12. paradisum in quo Adam collocatus est, nunc in terris non existere, multo minus in aëre. 13. hominem post lapsum amisisse iustitiam originalem & arbitrij libertatem, in qua primum creatus est. 14. omnes homines communi nascendi lege procreatos in peccato nasci originali. 15. non posse nunc homines viribus liberi arbitrij aut quod verum est cognoscere, aut quod bonum est & iustum, in rebus saltem spiritualibus, perficere. Et *denique* non posse nunc quemquam sine dei gratia aut æternam vitam adipisci, aut quæ ad eam adipiscendam pertinent, operari.

4. Vbi de ecclesia tractabimus, ostēdemus primò, esse quandā ecclesiam & sanctorum congregationem, eámque & à principio mundi fuisse, & semper futuram esse, vtpote super petram fundatam. 2. eius vera membra non esse sceleratos & impios & reprobos, licèt nobiscum eandem fidem profiteantur, & eadem sacramenta participent, sed pios & electos ad æternam vitam. 3. ad eam omnes accedere debere, vtpote domum dei, ciuitatem sanctam, corpus Christi mysticum, columnamque & firmamentum veritatis. 4. eam fundatam esse super Christum, doctrinámque Prophetarum & Aposto-

postolorum, & non super pontificem Rom. aut eius decretales. 5. externam politeiæ ecclesiasticæ formam propiùs accedere ad aristocratiam, quàm ad monarchiæ formam. 6. ecclesias singulas, earúmque pastores æquè habere claues ecclesiæ sibi commissas, ac episcopum quemuis Rom. aut ecclesiam eius vrbis. 7. episcopos Rom. & olim concilijs fuisse subiectos, & ita nunc esse debere. 8. & singulos & vniuersos alicuius regionis homines prouincialis synodi decretis obligari, licèt pontifex Rom. vel plures alij episcopi, aut homines priuati contradicant. 9. non posse, nec debere pontificem Rom. principes christianos de regni solio deponere. 10. pontificem Rom. rectè nunc vocari antichristum, ipsúmque non amplius esse episcopum, aut pastorem, sed lupum, & caput regni Antichristi. 11. ecclesiam varijs afflictionibus & persecutionibus esse obnoxiam. 12. eam non ita esse visibilem, seu potius conspicuam, vt ab omnibus videri & agnosci possit. 13. nullam ciuitatem, aut gentem certam esse, ecclesiam dei semper apud se mansuram. 14. veram ecclesiam primò & principaliter ex vera doctrina, secundum scripturas canonicas prædicata, *deinde* ex recta sacramentorum administratione, *tertiò* ex cultu diuino secundum mandata dei instituto, & *postremò* ex sanctis moribus cognosci, & ab alijs cœtibus distingui. 15. eam ex nomine *catholicæ*, ex vnitate, vniuersalitate, antiquitate, & reliquis notis à papistis afferri solitis, non adeo certò cognosci posse. 16. deum suam ecclesiam semper curare, regere, liberare. 17. ipsum hostes ecclesiæ affligere, & per-

dere solere. 18. ecclesiam veram nihil proponere credendum, tanquam necessarium ad salutem, quod ex scripturis nō habet authoritatem. 19. veram dei ecclesiam non solere populariter homines inermes & pacificos trucidare. 20. eam ab antichristi tyrannide & doctrina abhorrere. 21. Cardinales, Abbates, Monachos, & mendicantes fraterculos non esse vera ecclesiæ membra. 22. magistratus esse officium veram dei ecclesiam ab antichristi violentia & insidijs protegere & tueri. 23. veram dei ecclesiam per singulas prouincias ita certam esse verbi dei interpretem & custodem, vt non liceat hominibus priuatis ab eius sententia resilire. 24. fideles supra omnia deum amare, eique cultum in verbo dei mandatum exhibere. 25. eos patientes esse in afflictionibus. 26. ipsos proximi salutem & non suam gloriam quærere. 27. ipsos ad finem vsque in fide perseuerare. 28. ipsos studiosos esse bonorum operum, & in lege dei ambulare. 29. ipsos asiduos esse in dei cultu & inuocatione. 30. deum viros pios & in hac vita, & in futura remunerari. ipsos denique officium hominum Christianorum studiose exequi.

5. Locus communis de lege hæc capita præcipuè continet: *primò* quod lex dei non alibi, quàm in verbo dei quærenda sit. 2. quod sola lex dei conscientias obliget, & reliquæ leges, quatenus aliquid de lege dei continent. 3. quod summa sit legis dei vtilitas, necessitas, & excellentia. 4. quod eam nullus mortalis perfectè implere posit. 5. quod ex lege non sit iustitia, quæ in hac carnis nostræ fragilitate nos plenè & perfectè coram deo

iustos

iustos facit. 6. charitatem in nobis formaliter inhærentem non esse gratiam dei nos gratos facientem. 7. in extremo iudicio non pronuntiari eos iustos, præsertim secundum legem, qui sæpius & grauiter legem transgreßi sunt. 8. singula opera bona non mereri vitam æternam. 9. non esse opus bonum, quod non est in lege dei præceptum. 10. non esse peccatum nisi quod committitur aduersus legem dei. 11. statuta & constitutiones hominum non obligare conscientiam, nisi quatenus aliquid præcipiunt aut vetant secundum legem dei. 12. nullam religionem, aut cultus dei formam deo placere, nisi quæ lege dei præcipitur, aut saltem ex ea deducitur. 13. mortuorum inuocationem, & missarum celebrationem in angelorum, & sanctorum honorem, non esse lege præceptam, nec cultum esse deo gratum. 14. non licere imagines sanctorúmue reliquias aut crucem osculari, & incenso & adoratione honorare, vt fit in synagoga Rom. nec esse hanc cultus religiosi speciem deo acceptabilem. 15. non licere imaginem dei patris, aut spiritus sancti, aut indiuiduæ trinitatis facere, aut eam latria colere. 16. non licere cruci, aut crucifixo, aut alteri christi imagini cultum latriæ exhibere. 17. non esse licitum diuortium coniugum ex consensu propter votum superstitionis monasticæ. 18. iusiurandum ita obligare, vt non liceat pontifici vel illud soluere, vel cum violatione eiusdem dispensare. 19. concupiscentiam omnem contra legem dei peccatum esse. 20. officium esse hominis christiani in lege dei ambulare. 21. opera bona deo summè pla-

cere, & sua mercede non carere. 22. officium esse hominis pij deum ritè colere, dei verbum reuerenter audire, sacramenta à Christo instituta secundum leges ab ipso latas celebrare, & percipere. 23. non mereri nomen catholici, qui se idololatria & superstitione papistica polluit. 24. 25. magistratus esse pij altaria Baal, & omnem idololatriam & superstitionem ex regno suo tollere. 26. eiusdem etiam esse curare, vt omnes christiani deum ritè colant, & cœtus ecclesiasticos celebrēt; & contumaces & rebelles (quos vulgò recusantes dicimus) mulctis & alijs pœnis ad frequētādas ecclesias cōpellere. ad hunc deniq; locū pertinent, quæcūq; lege dei aut præcepta sūt, aut prohibita.

6. Euangelij doctrina in multos articulos tribuitur. hîc ergo ostēdendū. 1. quid sit doctrina euāgelij. 2. quantum intersit inter doctrinā legis & euangelij. 3. quod doctrina euang. ab ipso mūdi initio semper fuerit promulgata. 4. quod non sit nota luce naturæ. 5. quod nemo iustificetur per opera legis, sed per fidem in Christum Iesum. 6. quod filius dei verè naturā nostram assumpserit, verámque carnem & veram animam humanā habuerit. 7. quod in Christo duæ sint naturæ & duæ voluntates, & vna tantùm persona, aut vt loquuntur nonnulli, personalitas. 8. quod oportuerit Christum mori, resurgere, & in cœlum ascendere. 9. quod christus solus sit noui testamenti mediator, & summus & æternus sacerdos. 10. quod sacrifici synagogæ Rom. non sint sacerdotes secundum ordinem Melchisedech. 11. quod Christi regnum æternum sit. 12. quod nullus ingrediatur regnum

Dei, nisi renatus. 13. quod Christiani pœnitentiam agere debeant de peccatis. 14. quod non sit differenda pœnitentia 15. quod ad veram pœnitentiam requiratur & carnis mortificatio, & viuificatio spiritus. 16. quod per spiritum sanctum ex prædicatione euangelii excitentur in nobis fides, spes, & charitas. 17. quod Christus constanter sit ore confitendus. 18. quod perseuerandum sit in fide. 19. quod singuli Christiani credere debeant se æternam vitam adepturos. 20. quod regnum cœlorum cunctis huius seculi gaudijs & commodis præponendum sit. 21. quod singuli fideles credere debeant non ecclesiæ tantùm, sed sibi etiam remissa esse peccata. 22. quod corpora nostra in fine seculi resurgent ad iudicium. 23. quod tunc bonis præmia, impijs pœnæ tribuentur. 24. quod non in præsentis seculi bonis, sed in gloria futuræ vitæ confidendum sit. Hîc denique omnes articuli explicandi sunt, qui ad fidem & gratiam Christi, eiúsque effecta spectant.

In loco de sacramentis ostendendum *primò* 7.
quod Christus certa instituerit sacramenta. 2. quod ex sacramentis magnus percipiatur fructus. 3. quod præter Deum nullus instituere posit sacramentum. 4. quod sacramenta non aliter celebranda sint, quàm secundum Christi leges & institutionem. 5. quod alia sint sacramenta veteris testamenti, alia noui. 6. quod confirmatio, ordo, matrimonium, pœnitentia, & extrema vnctio non ita sint sacramenta, vt baptismus & eucharistia. 7. quod baptismus & ad præcedentia & ad sequentia peccata tollenda valeat. 8. quod hoc sacramen-

tum non debeat à mulierculis administrari. 9. quod resecandæ sint nouæ & inutiles synagogæ Rom. cæremoniæ in baptismo adhiberi solitæ,& quod grauissimum sit peccatum vel conspurcare, vel contemnere baptismum. 10. quod adulti jam baptizandi,& infantes baptizati diligenter in fide Christi instituendi sint. 11. quod corpus & sanguis Christi non contineantur sub accidentibus panis & vini in eucharistia. 12. quod panis & vinum non transubstantientur post consecrationem eucharistiæ in carnem & sanguinem Christi. 13. quod caro & sanguis Christi à sacerdotibus non verè aut propriè Deo in sacrificium pro peccatis viuorum & defunctorum offerantur. 14. quod missæ priuatæ sine communione contra Christi institutionem sint introductæ. 15. quod papistæ sacramentum eucharistiæ mutilent, eiusque institutionem violent, qui illud sub vna specie celebrant. 16. quod idololatræ sint, qui sacramentum latriâ colunt. 17. quod eucharistia sumenda sit, & non reponenda in pixide, aut circumgestanda. 18 quod missa papistica à Christo aut apostolis non fuerit instituta. 19. quod corpus & sanguis Christi in eucharistia spiritualiter sumantur per fidem, & non *corporaliter*, vt loquitur [a] *Tonstallus*, & ore corporis. 20. quod omnes ad mensam domini accedentes seipsos probare debeant. 21. quod non requiratur auricularis confessio ad hanc probationē. 22. quod in eucharistiæ celebratione fugiēdæ sint omnes superstitiosæ & inutiles cæremoniæ. 23. quod eucharistia non sit celebranda in lingua, quam communicantes non intelligunt. Hic denique

[a] *Lib. de verit. corp. & sang. Christ. in euch. 1*

nique omnia tractari possunt, quæ vel ad institutionem, vel ad naturam, vel ad vsum sacramentorum pertinent.

In loco denique de extremo iudicio docebi- 8
mus *primò* certò futurum esse vltimum iudicium. 2. illud non procul abesse. 3. illud futurum esse impijs plenũ terroris. 4. homines Christianos huius iudicij semper memores esse debere. 5. fideles nunc mercedem laborum accepturos. 6. impios æternis supplicijs esse cruciandos. 7. animas mortuorum statim à morte aut beatas esse, aut miseras. 8. peccata post hanc vitam non remitti. 9. pœnas inferorum interminabiles esse. Hîc denique addi possunt quæcunque de præmijs piorum, aut sceleratorum pœnis scripturæ docent.

Licebit etiam ad istos locos appendicem attexere de virtutibus & vitijs, de cæremoniis ecclesiæ, de officijs hominum Christianorum, aut alia quauis materia, de qua in locis superioribus, aut non satis accuratè, aut non satis particulariter dictum est. Hîc enim vberior materia nobis semper parata erit, vnde argumenta sumamus vel ad pietatem & virtutem hortandi, vel reuocandi ab impietate & flagitijs, vel laudandi, & quæ rectè instituta sunt, & quæ ex officio fiunt; vel ea quæ malè fieri videntur, & contra mores & officia bonorum, reprehendendi.

[a] Ne autem confusè vel articulos singulos, vel testimonia, exempla & argumenta quæ ad singula dogmata, aut pronuntiata probanda afferri solent, congerere & coaceruare videamur; illud *primò* [b] obseruandum est, vt singula themata simplicia

[a] *Obseruationes quædam ad vitandam confusionẽ in descriptione argumentorum ad singulos locos communes necessaria.*
[b] *Obseruat. 1.*

plicia

plicia ad certas & vsitatas quæstiones, quantum licet, reuocemus. Differemus ergo, præsertim quoties opus est, & res ipsa hoc postulare videbitur, *primo* an sit illud de quo agitur; *deinde* quomodo, vt plurimum, vocetur. *Tertiò* quid sit. *Quartò* quotuplex sit. *Quintò* vnde sit, siue quas causas habeat. *Sextò* quid posit, siue quæ effecta ex eo consequantur. *Septimò* quæ sint ei affinia aut cognata. Et *postremò* quæ sint ei opposita aut disparata. Videndum tamen, ne nimis anxiè hæc in omnibus quæ occurrunt, quæramus. Neque enim definienda sunt quæ omnibus sunt nota, nec diuidenda quæ partes non habent, nec in rebus leuibus vel causæ vel effecta nimis prolixè excutienda sunt, sed illæ quæstiones explicandæ sunt accuratissimè, quarum aliqua est insignis vtilitas.

2 Deinde considerandum est ad *primam quæstionem* propriè pertinere argumenta omnia, quæ in causis coniecturalibus adhiberi solent: exempli gratia testes, suspiciones, rumores, confessiones, indicia, signa, causas, effecta. Ad *secundam* spectat mos loquendi vel vulgò vsitatus, vel authoritate scripturæ, aut patrum, aut aliorum scriptorum confirmatus. Ad *tertiam* referuntur notatio nominis, rei definitio, genus, species, differentia & proprium. Ad *quartam* pertinent diuisio, totum, partes. Ad *quintam*, materia, forma, efficiens, finis. Ad *sextam* euenta, effecta, adiacentia, acta, res subiectæ. Ad *septimam* coniugata, contingentia, circumstantiæ, similitudines, paria & comparationes. Ad *postremam* opposita & disparata.

scripturæ

ſcripturæ verò & patrum teſtimonia ad omnes quæſtiones explicandas adhiberi ſolent. Poſſunt etiam quæ vnius quæſtionis propria ſunt, ad alias transferri, vt nos vſus & exempla optimè docent. argumenta ergo ex locis iſtis quæ maximè conuenient ad ſingulas quæſtiones accommodabuntur.

Præterea in ſingulis locis ſeorſim & ordine certo deſcribenda ſunt argumenta noſtra. *Primò* enim ponenda ſunt teſtimonia ex ſcripturis, *deinde* ex patribus, & alijs authoribus fidedignis. *Poſtea* ex confeſsione & ſcriptis aduerſariorũ, & *Poſtremò* ex ratione. Hoc autem tum maximè faciendum eſt, cum illud dubium videtur, quod probare inſtituimus. In ſcripturis verò ſpectamus primò leges & doctrinam, tunc populi Dei mores & exempla. Neque enim omnia exempla ſequenda ſunt, niſi hoc ex ſcripturæ ſententia elici poſsit. In patrum etiam teſtimonijs conſideramus partim eorum dicta, partim eccleſiæ & piorum mores. In ratione denique aut rationis humanæ vis ſpectatur, aut ratio noſtra fundamentum præterea habet in ſcripturis aut patribus. Nos autem ſecundum hanc varietatem certam ſequemur in collocandis & tractandis noſtris argumentis rationem & formulam. 3

Vbi autem aliquid controuerſum proponitur, ibi teſtimonia ex ſcripturis & patribus accuratè ex authenticis libris deſumentur, & non ex aliorum ſcriptis, aut truncatim deſcribentur. Similiter argumenta ex ſcripturis, patribus, ratione, & confeſsione aduerſariorum deſumpta rectè formanda, 4

manda, & neruosè torquenda sunt. Si quid autem leue sit, aut longè petitum, illud annotatione nobis indignum videtur.

5. *Postremò* licebit vel omnia hæc loca communia simul tractare, & in vnum commentarium referre ea ratione & modo, quem diximus, & quem antiqui vt plurimum secuti videntur: vel quia ipsi aduersarij controuersias seorsim tractare cœperunt, & maximè quia disputatio aduersus hæreticos prolixa est, & accuratissimam tractationem, & maximam animorum & virium contentionem postulat, separatim locos controuersiarum à reliquis locis secernere, eósque in proprio commentario separatim & fusè tractare non inutile erit. *Disputatio aduersus hæreticos* inquit [a] Augustinus, *multorum est voluminum & infinita*. Non adeo consultum ergo videtur, quæ multorum voluminum esse videntur, ea cum alijs locis confundere: eis præsertim, qui aduersus omnium hæreticorum verbosissimos papistas disputationem aliquam moliuntur.

[a] *In enchirid. ad Laurent. c. 5.*

Sed si quis ex singulis aliqua delibare, & omnia fidei dogmata & morum præcepta strictim tantùm, & quantum ad populares conciones & earũ rationem satis est attingere voluerit, poterit omnia simul in vno commentario complecti. Si autem contra fidei hostes, certare velimus, cum quibus nos iampridem non leui de re, vt nonnulli putant, sed de vita æterna & salute per Iesum Christum parta, certamen habemus; locos communes qui ad controuersias pertinent cum papistis theologiæ studiosi, si me audierint, à reliquis

seiungent,

ſciungent. Eorum verò locorum numerum & ordinem & tractationem in gratiam adoleſcentum, qui theologiæ ſtudium ingredi ſtatuerunt, nos in eo quod ſequitur, capite breuiter complexi ſumus.

Cap. VIII.

Summa capita controuerſiarum de religione Chriſtiana inter orthodoxos & Papiſtas: vnde etiam controuerſias tractandi ratio colligi poteſt.

OMnes ferè controuerſiæ, quæ nobis cum papiſtis ſunt, ad [a] quatuor capita referri poſſe videntur. Nam aut de regula fidei Chriſtianæ, eiúſque primis principijs, aut de Chriſto & eius corpore myſtico, eiuſque membris, aut de ſacramentis eccleſiæ, aut de gratia dei eiúſque effectis contenditur. [b] Illi pro integra fidei regula ſcripturas non recipiunt, ſed partim à traditionibus non ſcriptis, partim à decretalibus pontificum Rom. epiſtolis, partim à miraculis monachorum & fraterculorum & aliorum ſectæ pontificiæ hominum, partim ab actis & decretis conciliorum à pontificibus Rom. approbatorum, partim à praxi ſynagogæ Rom. partim à ſententijs patrum, partim à doctrina ſcholaſticorum & ſacrificorum, tanquam à fidei principijs argumenta ducunt. Præterea circa numerum ſcripturarum canonicarum, earundémque verſiones, & interpretationes nobiſcum litigant. Vt fidem ergo orthodoxam ſartam tectam circa fidei fundamenta conſeruemus, contra ipſos demonſtrandum eſt [c] primò libros

[a] *4. Capita controuerſiarum inter orthodoxos & papiſtas.*

[b] *Cap 1. de ſcripturis, ſeu fidei Chriſtianæ primis principijs.*

[c] *Cap. 1. art. 1.*

bros *Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Iudith, Machabæorum, tertium & quartum Esdræ, & fragmenta quædam librorum*, quæ apud veterem interpretem latinum bibliorum habentur, & Hebraicè non exstant, non esse Canonem fidei, aut Canonis mereri authoritatem. 2. [a] scripturas canonicas à deo, & non à synagoga Rom. aut etiam ab ecclesia vim habere & authoritatem. 3. [b] deum nobis loqui in scripturis. 4. [c] scripturas nunc esse ad rectam fidei & morum instructionem ita necessarias populo christiano, vt eis commodè carere nō possit. 5. lectionem scripturarum fidem gignere. 6. veterem bibliorum versionem latinam non mereri in omnibus authenticam fidem. 7. codices originales Hebræos veteris testamenti & græcos noui, magis esse authenticos, quàm versionem latinam vulgatam. 8. scripturas vertendas esse in linguas vulgares & vernaculas. 9. scripturas sic conuersas in linguas vernaculas passim legendas esse à populo. 10. non esse scripturas publicè legendas in lingua, quam auditores non intelligunt, sed potius in linguis vernaculis. 11. scripturas non ita esse difficiles & obscuras, vt ab earum lectione in linguis vernaculis laici arceri debeant. 12. interpretationem scripturarum æquè pertinere ad episcopos *Angliæ, Scotiæ, Germaniæ*, & aliarum gentium, ac vrbis *Romæ & Italiæ* episcopos. 13. interpretationes pontificum Rom. & ecclesiæ Rom. nonnunquam alienissimas esse à sensu spiritus sancti. 14. scripturas canonicas esse perfectam fidei & morum regulam, eásque omnia continere, quæ ad salutem necessaria sunt. 15. traditiones

ecclesia-

[a] *Art. 2.*
[b] *Art. 3.*
[c] 4.
[d] 5.

ecclesiasticas quas iactat synagoga Rom. non esse verbum dei. 16. neque ipsas, nec vllas traditiones non scriptas pari affectu ac scripturas esse recipiendas. 17. Decretales pontificum Rom. epistolas non esse principium fidei. 18. traditiones missalis Rom. & Breuiarij, & Legendarum, incertas esse. 19. miracula synagogæ Rom. sanctorúmque, quos illa canonizauit, non esse authentica. 20. scripta patrum plurima notha esse & adulterina. 21. omnia ipsorum scripta examinanda esse secundum scripturæ sacræ regulam. 22. doctrinam & interpretationes monachorum, fraterculorum, sacrificorum, & aliorum synagogæ Rom. doctorum antichristi characterem habere, & propterea nullam habere authoritatem.

[a] Papistæ præterea vt corpus christi in pluribus locis simul esse posse doceant, dogmáque suum de purgatorio & limbo statuant, quod omnino ex mentibus hominum expurgandum & eliminandum est, multa de christi corpore & anima peruersè docent. Plurima etiam de christi corpore mystico, eiúsque partibus, sede, & natura futiliter garriunt, vt omnem veræ ecclesiæ gloriam & potestatem à cœtu fidelium ad pontificem Rom. & antichristi synagogam, eiúsque membra & assedas transferant. Hîc etiam multa nugantur de pōtificis Rom. prærogatiuis, de conuentu *Tridentino* & alijs suis conciliabulis, de cardinalibus, sacrificis, monachis & fraterculis, vt meretricem apocalypticam hominibus imperitis pro castissima Christi sponsa obtrudant. Ijdem denique de sanctorum & angelorum beatitudine suas obsoletas cantile-

[a] *Cap. 2. de Christo, eiusq; corpore mystico, eiusdemq; varijs membris.*

cantilenas occentant, vt idololatricum angelorum & sanctorum defunctorum cultum, quem ipsis exhibet synagoga Rom. in ecclesiam christi introducant, & ex ecclesia speluncam latronum faciant. Contra eos ergo in hoc secundo capite demonstrandum est [a] *primò* corpus christi esse verè humanum, hoc est, solidum, palpabile & visibile.

a *Art.* 1.

b *Art.* 2.

c *Art.* 3.

[b] *Deinde* corpus illud non existere in cœlo & terris, & in omnibus altaribus simul. 3. papistas non posse effugere vbiquitatis errorem concessa transubstantiatione, & quod corpus christi simul sit in cœlo & in terris, & in omnibus altaribus simul. 4. animam christi nō descēdisse ad limbū patrum, vt animas Abrahæ & reliquorū patriarcharum & piorū sub lege defunctorū è limbo apud inferos eriperet. 5. attributū omniscientiæ & omnipotētiæ nō magis communicari animæ Christi, quàm omnipræsentiam seu vbiquitatem. 6. Christum profecisse sapientia & ætate. 7. ipsum creuisse secundum corporis molem, & non fuisse virum perfectum, quando primùm conceptus fuit. 8. Christum tantùm esse caput, & summum regem, & monarcham, & sponsum vniuersalis ecclesiæ. 9. vniuersam ecclesiam non esse nunc vni alicui pontifici subiectam. 10. apostolos reliquos parem potestatem in ecclesiæ gubernatione habuisse cum *Petro.* 11. omnes electos ad ecclesiam catholicam pertinere, licèt non sint adhuc baptizati, aut intra fines visibilis ecclesiæ recepti. 12. homines infideles & impios, licèt externè fidem veram profiteantur, & sacramēta participent, nō esse vera ecclesiæ catholicæ membra. 13. nec reprobos, nec homines

sceleratos

ſceleratos ſine conſcientiæ ſenſu peccantes & flagitiosè viuentes numerandos eſſe propter profeſſionem externam Chriſtianæ religionis inter vera Chriſti & eccleſiæ catholicæ membra. 14. eccleſiam Chriſti non eſſe in terris ſemper conſpicuam, ita vt ab omnibus videatur, & agnoſcatur. 15. veras eccleſiæ notas eſſe verbi Dei ſinceram prædicationem, rectam ſacramentorum adminiſtrationem, verum Dei cultũ, & ſanctos mores. 16. illas notas, quas aſsignant papiſtæ, Ethnici, & Turcæ, qui ab antiquitate, multitudine, duratione, felicitate, miraculis, & huiuiſmodi rebus externis ſuæ religionis veritatem demonſtrare conantur, non eſſe veras eccceſiæ notas. 17. papiſtas & ſynagogam Rom. non eſſe veram Dei eccleſiam. 18. eccleſiam, quam pontifices Rom. eorúmque aſſeclæ per Angliam, Galliam, Germaniam, aliáſque regiones perſequuntur, veram eſſe Dei eccleſiam. 19. formam gubernationis eccleſiæ vniuerſalis in terra militantis non eſſe monarchicam. 20. non eſſe eandem rationem gubernationis eccleſiæ & reipub. nec eandem formam vtrobique eſſe optimam. 21. non eſſe legitimos & veros epiſcopos, qui non paſcunt Chriſti gregem, nec opus epiſcoporum faciunt. 22. imperatorem & alios reges & magiſtratus Chriſtianos, & non pontifices Rom. poteſtatem habere congregandi concilia. 23. concilijs præſidere debere non pontificem Rom. ſed eos quos patres concilij ex principum conſenſu deſignant. 24. principes Chriſtianos ex conſilio ſynodi aut piorum epiſcoporum leges eccleſiæ ſui regni præſcribere poſſe. 25. magiſtratus eſſe of-

ficium idololatriam tollere, altaria Baal destruere, superstitionum omnium fibras eradicare, & veros ecclesiæ pastores & doctores aduersus vim antichristi & aliorum ecclesiæ hostium protegere & defendere. 26. concilia posse pontificem Rom. deponere, & ei leges præscribere. 27. non habere pontificem Rom. potestatem deponendi reges Christianos, aut aliquam supra ipsos potestatem. 28. veteres episcopos Rom. non plus potuisse contra principes Christianos, quàm alios episcopos. 29. canones conciliorum non obligare Christianorum conscientias, nisi quatenus secundum legem Dei aliquid decernunt. 30. laicos non posse solui à vinculo iuramenti principibus, aut alijs dati ex mandato, aut dispensatione pontificis Roman. 31. laicos posse de doctrina priuatim iudicare, quatenus ea ad salutē propriam attinet. 32. magistratus non debere papistas aliósue hæreticos contra rempub. coniurantes, aut eam perturbantes ferre. 33. pontificem Rom. non esse *Petri* successorem. 34. eum esse *Heliogabali* potius, quàm Petri successorem. 35. non esse ipsum legitimum episcopum. 36. non habuisse olim episcopos Rom. potestatem, vel de omnibus Christianis iudicandi, vel leges ferendi, quæ omnes Christianos obligabant, vel episcopos vbique ordinandi aut deponendi. 37. pontificem Rom. non esse supra concilia. 38. esse ipsum caput regni antichristi, & eo nomine rectè antichristum dici. 39. pontificem Rom. esse hostem veræ religionis & regni Angliæ. 40. nec cardinales, nec pseudepiscopos synagogæ Rom. nec abbates, nec priores conuen-

tuum,

tuum, nec alios pontificis Rom. ministros aut ser-
uulos suffragium habere debere in legitimis
concilijs. 41. conuenticula, quæ superioribus his
annis aut seculis à pontificibus Rom. indicta fue-
runt, & quæ ex legatis antichristi, & talibus sata-
næ mancipijs constituta vidimus, fuisse latronum
potius conciliabula aduersus Christum, quàm le-
gitima concilia. 42. conciliabulum *Tridentinum*
eiusque impia decreta ab omnibus Christianis
esse explodenda & fugienda. 43. nec pontificem
Rom. nec cardinales, nec abbates, nec priores con-
uentuum, nec monachos, nec fratres mendican-
tes, nec colluuiem illam sacerdotum Baal, aut
qui illis adhærent, ad ecclesiam Christi catholi-
cam, sed potius ad antichristi gregem pertinere.
44. Christum nunquam suasisse vitam monasti-
cam, aut eius regulas & mores. 45. non posse fieri
opera supererogationis, nec pro talibus censenda
esse consilia monastica. 46. ab omnibus Christia-
nis fugiendos esse monachorum & fraterculorum
ordines, tanquam religionis veræ corruptores.
47. *Iebusæos* & *Ignatij Loiolæ* discipulos non esse
monachos, sed locustas ex puteo abyssi apocal. 9.
emergentes. 48. animas patriarcharum & piorum
ante Christum statim post excessum è corporibus
Deum vidisse, & beatas fuisse, & non descendisse
ad inferos. 49. angelos non esse missis & precibus
publicis, altaribusque & templis colendos. 50.
animas defunctorum non vbique interesse, nec
audire gemitus, aut preces inuocantium se. 51. eas
non esse religionis cultu honorandas. 52. non esse
missas in defunctorum honorem decantandas,

 aut

aut aliter celebrandas. 53. defunctos non esse precibus, incenso vel genuflexione ante eorum reliquias honorandos. 54. crucem cultu latriæ non esse adorandam. 55. imagines sanctorum non esse in templis collocandas, aut incenso, lumine, osculatione, genuflexione & oratione colendas.

[a] Cap. 3. de sacramentis. [b] Art. 1. [c] ...2. [d] ...3

In [a] tertio capite disputabimus [b] *primò* confirmationem, ordinem, matrimonium, pœnitentiam, & extremam vnctionem non esse noui testamenti sacramēta, pariter vt est baptismus & cœna domini. [c] *Deinde* sacramenta non ita continere gratiam, aut eam ex opere operato conferre, vt papistæ putant. 3. [d] conspurcari baptismum sputo, sale, vnctione & alijs eiusdem generis superstitiosis & putidis cæremonijs. 4. corpus & sanguinem Christi non esse verè & propriè sub accidentibus panis & vini in eucharistia. 5. panem & vinum in eucharistia in corpus & sanguinem Christi non transsubstantiari. 6. corpus & sanguinem Christi verè & propriè Deo non offerri in eucharistia. 7. missam non esse sacrificium propitiatorium pro viuis & defunctis. 8. sacerdotes, seu potius sacrificos synagogæ Rom. non habere legitimam ordinationem, nec esse secundum ordinem *Melchisedech*. 9. missas priuatas, quæ celebrantur absque communione pugnare cum eucharistiæ institutione, & antiquis ecclesiæ moribus. 10. abrogari, aut saltem violari Christi testamentum, quando communio celebratur sub vna specie, & calix noui testamenti communicantibus negatur. 11. cultum latriæ, quem papistæ sacramento altaris deferunt, esse planissimè idololatriam. 12. missam

ſam papiſticam non eſſe à Chriſto aut apoſtolis inſtitutam. 13. illam eſſe multarum ſuperſtitionum & abominationum compendium. 14. & miſſam & canonem ipſum à pontificibus Rom. aliiſque hominibus ſuperſtitioſis & imperitis fuiſſe, vt plurimum, conſarcinatum. 15. miſſam & canonem eius multa continere, quæ cum fide Chriſtiana, & moribus eccleſiæ verè catholicæ pugnant. 16. miſſam papiſticam ab omnibus Chriſtianis fugiendam eſſe. 17. non habere ſacerdotes, alióſque ordines ſynagogæ Rom. legitimam ordinationem & miſsionem. 18 non rectè ſacerdotes ſynagogæ Rom. cogi ad cœlibatum, nuptiarúmque abiurationem. 19. impios eſſe papiſtarũ exorciſmos. 20. non rectè diſſolui matrimonium, aut conſummatum, aut contractum propter cognationem ſpiritualem, aut vota ſacerdotalia aut monaſtica. 21. non poſſe pontificem Rom. magis diſpenſare in matrimonio intra certos gradus prohibito, quàm quemuis alium legitimum in cauſis matrimonialibus iudicem.

In [a] quarto & poſtremo capite diſſeremus [b] *primò* gratiã dei, de qua loquitur apoſtolus Eph. 2. quãdo dicit *nos gratia eſſe ſaluatos:* eſſe Dei miſericordiã, benignitatem, & beneuolentiã, qua electos in Chriſto amplectitur, & non charitatem, aut aliam qualitatem in nobis inſitam & inhærentem. [c] *Deinde* charitatem non rectè dici gratiam gratum facientem. 3. [d] gratiam Dei, qua primum hominem dilexit aliud fuiſſe, quàm gratiam animæ, gratiam corporis & gratiam loci. 4. [e] papiſtas ita definire & partiri gratiam, vt planiſsimè conſtare poſsit,

[a] *Cap. 4. de gra[tia] Dei, eiúſque eff[e]ctis.*
[b] *Art. 1.*
[c] *Art. 2.*
[d] *Art. 3.*
[e] *Vide Bellar. l[ib.] 1. de gratia & li[b.] arb. c. 1. & 2. alio[s]que eius ſodales [in] hoc argumento differentes.*

 ipſos

ipsos inimicos esse gratiæ Dei non minus, quàm *Pelagianos*, & planè nescire, quid sit gratia, de qua apostolus loquitur, Rom. 3. & alijs in locis, & qua fideles iustificari docet. 5. gratiam sufficientem non omnibus dari ad conuersionem seu regenerationem, vitationem noui peccati & salutem. 6. malè distingui gratiam in operantem & cooperantem. 7. prædestinationis nullum esse in homine meritũ siue de condigno, siue de congruo. 8. caussam reprobationis non esse peccata præuisa. 9. aliud [a] esse reprobationem, aliud damnationem. 10. liberum arbitrium non tam significare actum voluntatis tantum, quàm etiam actum iudicij & rationis, & actum electionis, voluntatis, aut saltem iudicij rationis. 11. non ita habere hominem post lapsum, liberum arbitrium, vt non sit seruus peccati ante regenerationem. 12. viribus naturalibus non cognosci vtiliter & salutariter, vel Deum esse, vel ipsum vnum esse. 13. Deum voluntatem hominis dirigere, & in eam vim suam imprimere, & non tantum in actiones & effectus à voluntate procedentes. 14. hominem viribus naturæ non cognoscere opus legis diuinæ, quatenus tale. 15. non posse hominem opera legis diuinæ facere, & tentationes superare, absque gratiæ diuinæ auxilio. 16. liberum arbitrium, seu voluntatem non eam habere vim in renatis, vt eius viribus præstare possint, quæ ad pietatem & salutem pertinent. 17. [b] hominem ante omnem gratiam non habere liberum arbitrium ad opera pietatis & effecta supernaturalia. 18. [c] fidem iustificantem non tantùm esse assensum, eúmque generalem, sed continere

[a] Contra Bellar. 2. de grat. & arbit. c. 17.

[b] Contra Bellar. b. 6. de grat. & b. arbit. cap. 15.

[c] Contra Bellar. b. 1. de iustific. c. & sequentibus.

etiam notitiam, fiduciam, & applicationem promißionum Dei ſingularem. 19. fidem hanc iuſtificare credentes abſque operibus legis. 20. fidem veram & iuſtificantem non poſſe abſque dilectione, & aliis bonis operibus conſiſtere. 21. hominem Chriſtianum de ſua iuſtificatione certum eſſe poſſe, & debere ita eſſe. 22. iuſtificationem noſtram poſitam eſſe in remißione peccatorum, imputatione iuſtitiæ Chriſti, & gratuita Dei miſericordia. 23. præter vnum Ieſum Chriſtum nullum vnquam hominem legem dei perfectè impleſſe. 24. neminem ex operibus ſuis, aut charitate habituali iuſtificari coram deo. 25. ex effectis gratiæ dei poſſe hominem chriſtianum certò cognoſcere ſe eſſe ex prædeſtinatorum numero. 26. nec prædeſtinationem, nec dei iuſtificationem irritam reddi poſſe. 27. opera hominum chriſtianorum non eſſe vitæ æternæ meritoria. 28. non debere ipſos fiduciam ponere in operibus ſuis, aut de ipſis gloriari. Poſtea diſſerendum eſt de oratione, eleemoſyna, & ieiunio, & oſtendendum *primò* non eſſe orandum in lingua ignota. *Deinde* non eſſe orandum coram cruce, ſtatuis & imaginibus ſanctorum. 3. non eſſe deo ſupplicandum propter merita & mediationem ſanctorum & ſanctarum. 4. non eſſe inuocandos homines mortuos, vt nobis opitulentur. 5. non eſſe homines defunctos orandos, vt pro nobis intercedant. 6. grauißimè peccare eos, qui eleemoſynas pauperibus & egenis debitas in monachos ditißimos, & fratres mendicantes & Ieſuſæos, alióſque pigros ventres & mendicos vali-

dos & robustos conferunt. 7. eleemosynarum largitione deo non satisfieri pro peccato. 8. eleemosynas pro defunctis datas nihil eos iuuare. 9. legitimum ieiunium non consistere in abstinentia à carne tantùm. 10. Ieiunia papistica non esse à Christo, aut apostolis instituta. 11. ieiunijs deo non satisfieri pro peccatis. 12. ieiunijs à papa institutis neminem christianum obligari. quæ omnia ad locum 29. huius capitis pertinent. docendum est. 30. non esse aliqua opera supererogationis. 31. non esse opus bonum & pium vel audire missam papisticam, vel peccata sacrifico confiteri, vel *Romam* peregrini habitu, vt vocant proficisci, vel reliquias sanctorum adire, contingere, & osculari, vel ea perficere, quæ pontifex Rom. aut eius asseclæ iubent. demonstrandum est 32. & *postremò* papistas grauissimè errare & peccare circa ipsius peccati doctrinam. Nam *primò* nolunt peccatum originale in beatam virginem manasse. *Deinde* docent peccatum originale omnium peccatorum esse minimum. *Tertiò* putant pœnam peccati originalis tantùm esse damnum, aut vt ipsi loquuntur, pœnam damni. nobis autem in his tribus contraria sententia demonstranda est. contra ipsos præterea demonstrandum est peccatum esse, deum perfectè non diligere. & *quintò* concupiscentiam in renatis esse peccatum. 6. non esse peccatum mortale transgredi pontificum Rom. sectæque pontificiæ mandata aut decreta. 7. non esse necessariam ad tollendum peccatum post baptismum admissum, aut confessionem auricularem, aut satisfactionem peccatoris pro pœna tempora-

li,

li, aut absolutionem sacerdotis. 8. peccatum omne ex natura sua esse mortale. 9. peccata in purgatorio non remitti. 10. non posse homines pro pœnis peccatorum deo satisfacere vel in hac vita, vel in futura. 11. sacrificos peccata verè & propriè, authoritatéque iudiciali non remittere. 12. pontificem Rom. per indulgentias peccatorum pœnas non posse tollere. 13. non esse regressum eis, qui propter peccata ad pœnas inferorum (nam ibi papistæ purgatoriũ collocant) damnantur. 14. Christum plenè & integrè pro peccatis satisfecisse. 15. nihil valere pontificis Rom. indulgentias. hîc denique refellenda sunt, quæcunque papistæ de lege dei, de peccato, aut remissione peccati malè docent.

Est etiam alia ratio tractandi controuersias istas, quam nobis piæ memoriæ D. *Gulielmus Whitakerus* vir doctissimus & disertissimus [a] præmonstrauit. Ipse enim totum antichristianismum vel cum prophetico *Christi* munere, vel cum officio ipsius regio, vel cum eius sacerdotio, vel cum vera doctrina de beneficijs redemptionis & salutis nostræ per *Iesum Christum* partæ pugnare animaduertit: atque ideo omnes controuersias inter veram dei ecclesiam & antichristi gregem in quatuor capita tribuit, quorum *primum* continet ea quæ ad propheticum *Christi* munus pertinent; *secundum* controuersias circa regium *Christi* officium tractat. *Tertium* circa sacerdotium *Christi* versatur. *Quartum* ea explicat, quæ ad doctrinam de beneficijs redemptionis per *Christum* partæ attinent, quæ in nomine *Iesu* continentur. In *primo* loco

[a] *In Præfat. in tractat. de scriptura.*

loco tractandas censet omnes de scripturis & traditionibus, & alijs quibusdam fidei papisticæ fundamentis controuersias. In *secundo* differendum putat de ecclesia, de concilijs, de episcopis & ecclesiæ pastoribus, de magistratu christiano, de statu piorum post hanc vitam, de cultu angelorum, & hominum defunctorum, & denique vt excludantur ex ouili Christi lupi, mercenarij & alieni à christi grege, de pontifice Rom. de cardinalibus, de sacerdotibus *Baal*, de monachis & omni antichristi grege. In *tertio* quærenda censet, quæ ad sacramenta & munus mediationis Christi pertinent. In *postremo* de prædestinatione & reprobatione, de peccato, de lege, de libero arbitrio, & postremò de fide & operibus agendum censet.

Licet denique omnes controuersias in 17. locos partiri, ita vt primus de scripturis, & regula fidei. secundus de humana Christi natura. 3. de ecclesia catholica eiúsque pastoribus & ministris, de magistratu & reliquis christianis. 4. de pontifice Rom. de cardinalibus, sacerdotibus Baal, monachis, fratribus mendicantibus & reliquo antichristi grege. 5. de inuocatione & cultu sanctorum, de adoratione crucis & cultu reliquiarum, & varijs sectæ papalis superstitionibus, & circa cultum dei erroribus. 6. de sacramentis ecclesiæ. 7. de libero arbitrio. 8. de peccato. 9. de gratia dei. 10. de fide iustificante. 11. de operibus legis, eorúmque meritis. 12. de pœnitentia. 13. de matrimonio. 14. de oratione. 15. de eleemosyna. 16. de ieiunio. 17. de statu animarum post hanc vitam, controuer-

trouerſias tractet. qui ordo, ſi cui placeat poterit omnes illas controuerſias, quas nos ad quatuor capita reduximus, ad iſtos ſeptemdecim locos referre: ita vt in loco de ſcripturis & fidei regula oſtendat & quæ ſint ſcripturæ canonicæ, & quæ non ſint. quæ ſit regula fidei, & quæ non ſit. & quæ nos in principio huius capitis diximus ad fundamentum fidei pertinere, aut ſecus. in ſecundo diſſeret Chriſtum veram habuiſſe carnem, & non imaginariam, Chriſtíque corpus in vno loco eſſe, eiúſque animam non magis eſſe omniſciam, quàm omnipotentem, & quæcunque ad veritatem humanæ eius naturæ demonſtrandam pertinent. in 3. oſtendet, omnes prædeſtinatos ad eccleſiam catholicam pertinere, licèt adhuc non ſint baptizati, aut ad externam eccleſiæ ſocietatem admiſsi. hic etiam tractabit de coniugio paſtorum eccleſiæ, de magiſtratus chriſtiani officio, omnibúſque negotijs, quæ circa eccleſiam, eiúſque partes & officia notas, & ſedem in controuerſiam vocantur. in quarto collocabuntur ea omnia, quæ circa pontificem Rom. eiúſque aſſeclas diſputari ſolere diximus. atque ita denique ea omnia quæ ad 17. locos propriè ſpectant, ex primis quatuor locis transferentur, & in ſua propria ſede collocabuntur.

De iſtis tribus rationibus & vijs tractandi controuerſias cum papiſtis, liberam nos theologiæ ſtudioſis permittimus electionem. licebit etiam ſingulis locis aliquid addere, aut adimere, ipſóſq; locos nonnunquam mutare: modo non turbent ordinem rerum, nec aliquid omittant controuer-

ſum,

sum, nec nimis inepte res friuolas & nullius momenti persequantur.

Illud etiam diligenter admonendi videntur, vt omissis omnibus cum fratribus controuersijs, quæ aut leues sunt, aut contra homines priuatos suscipiuntur, illud agant quod papistarum importunitas maxime postulat.

Cauebunt denique, ne aut nouas lites ferant, aut priuatas & singulares opiniones sectentur.

Si quis ergo hæc controuersiarum capita seorsim à locis moralibus, & à reliquis fidei dogmatis separata & seiuncta seorsim tractanda censuerit, quod & nos ipsi fecimus, & ab alijs magna cum vtilitate fieri posse censemus; poterit idem omnia illa ex libro locorum communium, quos primò descripsimus, huc transferre, & ibi ipsa missa facere. Sin autem omnia vno volumine complecti voluerit, poterit vel ordinem à nobis primo descriptum sequi, vel saltem aliam locorum communium formulam nostræ huic non absimilem suo marte sibijpsi efformare.

In argumentorum verò collocatione, si me audire velit, nihil mutabit. *Primò* enim testimonia scripturæ, & ab eis sumpta argumenta; *deinde* sententias patrum, & conciliorum & episcoporum, totiúsque ecclesiæ acta ex probatissimis historijs descripta; *tertiò* aduersariorum confessiones, si res nobis eam facultatem præbeat: *postremò* argumenta à ratione & locis alijs quibusuis sumpta collocabit.

Licebit ei denique vel controuersiæ alicuius vnum caput in plures articulos partiri, vel noua aliquot

liquot capita locis istis addere, vel ea pro arbitratu suo mutare, & in locum commodiorem transferre. Sed cauenda semper confusio, ordinísque omnis perturbatio. opera etiam danda ne sibi tantùm hæc omnia parasse videatur. idcirco & scriptis, & concionibus, & priuatis colloquijs, quæ ipse didicit, alijs communicare debet. finis enim theologi est & fidelis doctoris, quæ ipse didicit, [a] *alios docere.* idémque potens esse debet, non solùm exhortari in sana doctrina, sed etiam contradicentes arguere. a 2.Tim.2.

Cap. IX.

Locorum communium summa vtilitas.

EX locis verò istis, si ea testimonijs & argumentis commodis instruere, & rectè & ordine tractare didicerint, multiplex ad theologiæ studiosos perueniet vtilitas. Nihil enim ipsi legent, quod non facilius quorsum spectet, intelligent, & memoria firmius comprehendent, & ad vsum hominum Christianorum promptiùs proferent.

Et *primò* quicquid vel patres ecclesiæ, vel *Lutherus*, vel *Melancthon*, vel *Cranmerus*, vel *Caluinus*, vel *Bullingerus*, vel *Petrus Martyr*, vel *Iuellus*, vel *Chemnitius*, vel *Foxius*, vel *Fulkius*, vel *Antonius Sadeel*, vel *Whitakerus*, vel alius quisquam è nostris strenuus Dei athleta ex scripturis, aut maiorum commentarijs, aut aliunde hausit, & aduersus hostes veritatis neruosè contorsit, hoc omne 1.

ipsi

ipsi in exigui commentarij angustias contractum, & ad loca & capita certa relatum vno quasi aspectu contueri poterunt. Inde etiam facultatem sibi cōparabunt aduersus quoslibet ecclesiæ hostes ex tempore decertandi. Nec difficile erit illis vel quæ breuuius dicta sunt, amplificare, vel quæ desunt supplere, vel quæ imbecilliora videbuntur, vberius confirmare.

2. *Deinde* omnes simul aduersariorum copias vel ex scripturis, vel ex patribus, vel ex conciliorum actis, vel ex alijs locis contractas videre licet. Neque enim illa tantùm quæ nostri homines pro veritate, sed etiam quæ aduersarij aduersus veritatem dicere solent, ad singula controuersiarum capita annotanda censemus. Simul etiam quæ homines doctissimi ex sententia sacræ scripturæ, & patrū scriptis, & alijs argumentis ad sophismata papistarum responderunt, breuiter describenda videntur. Atque ita facilimum erit, & effugijs aduersariorum viam obstruere, & argumenta pro veritate confirmare, & inuicta præstare.

3. *Tertiò* non erit opus posthac, quod multi nunc homines imperiti factitant, vel ad putidas papistarum postillas, vel ad verbosos & lutulentos monachorum tractatus, vel ad promptuaria Stapletoni & aliorum stercorea, vel ad thesauros & siluas exemplorum & similitudinum, vel ad scholasticarum sententiarum spinosas argutias, & ad flores doctorum iam deflorescentes, & huiusmodi scripta inepta & noxia recurrere. Habebunt enim theologiæ studiosi, si nostrum in locorum communium descriptione consilium promptè & accuratè

accuratè exequi voluerint, ex ipsis scripturæ fontibus, & patrum, ecclesiæque monumentis, tanquam ex penu instructissimo, quæcunque vel ad concionum materiam & ornatum, vel ad disputationes & congressiones cum papistis necessaria erunt.

Quartò non erit necesse vt hactenus, in singulis concionibus & disputationibus iterum atque iterum vel ad patrum, vel ad recentiorum scripta redire, nouámque quasi materiam, tanquam ad noua ædificia comportare. Hinc enim sumere possunt theologi, tanquam ex thesauro domi iam parato, quicquid vel ad conciones, vel ad disputationes, vel aduersariorum scriptorum confutationes necessarium erit. 4.

Quintò hic locorum communium commentarius instar armamentarij erit, vnde homines pij summam telorum copiam sumere, & hostes religionis conuincere, & seipsos aduersus hæreses & impietates armis munire poterunt. 5.

Ex aduersariorum etiam & nostrorum hominum scriptis, vnde præcipua argumenta in locorum communium commentarium transferentur, controuersiæ status, qui nunc plerisque obscurus videtur, & facilius & certius cognoscetur. 6.

Septimò & summa vitabitur in legendis nostris, & aduersariorum scriptis confusio, quæ hactenus multos impediuit, nonnullos ab his studijs deterruit, & summa ex lectione scripturæ & patrum percipietur vtilitas, quæ multos proculdubio ad huius præclarissimæ scientiæ studium postea alliciet. 7.

Octauò

8. *Octauò* hinc intelligent, non tantùm quibus authoribus, & adiutoribus, & superstitiones, & veræ doctrinæ corruptelæ in ecclesiam subingressæ sunt; sed etiam quibus gradibus & temporibus & fides, & verus Dei cultus corrumpi, aut deformari cœpit: quod ad superstitiones, & corruptelas papistarum detegendas, & euertendas valet plurimum.

Postremò quicunque cōmentaria postea in aliquem sacræ scripturæ librum scribere instituerit (quod sane ad refellendas papistarum falsissimas interpretationes, quas in tot commentarijs *Iebusæorum*, & aliorum indies emergentibus nobis obtrudunt, necessarium fore videtur) næ illi non adeo multo labore, si quam nos ipsis præmonstrauimus viam sequi voluerint, omnes superiores magna legentium admiratione superabunt. Quæcunq; enim vel grauiter patres eccelsiæ, vel acutè & vtiliter recentiores ad singŏla loca obseruarunt & annotarunt, ea facillimè in vnum locum contrahere, & quæ superflua sunt resecare, & quæ desunt supplere, & quæ malè nonnulli dixerunt, corrigere poterunt.

Omnes ergo adolescentes, qui hoc studium ingressuri sunt, & quibus hoc integrum est, hortor, vt non tantum scripturas & scripta patrum, aliorúmque authorum monumenta studiosè legant, sed vt certam aliquam rationem & viam in studijs & lectione librorum sectentur, atque vt locorum communium commentarios assiduè & diligenter conficiant. Neque hoc ego mihi arrogo, vt mea solùm illis obtrudere velim. Liberum

enim illis permitto, vt vel hanc meam studij theologici methodum sequantur, vel aliam meliorem ipsi excogitent, modò non, vt hactenus, in immensis patrum & aliorum authorum campis sine certo duce, aut ratione certa vagentur. Hoc sanè illis audacter confirmo, si in lectione & scriptione leges istas seruare, & se in dicendo, docendo, scribendo, disputando assiduè exercere velint, ipsos nec Bellarmino in controuersijs tractandis, nec Baronio in historiæ cognitione & scriptione, nec aduersariorum nostrorum cuiquam in vllo scriptionis, aut certaminis scholastici genere impares futuros.





DE CONCIONVM FORMULIS

mulis earúmque varia tractatione libellus.



SVperest nunc, absoluto de studij theologici ratione tractatu, vt de concionibus ad populum, earúmque formis & tractatione aliquid dicamus. Idcirco enim & studij theologici viam ostendimus, & quomodo omne genus testimoniorum & argumentorum in locorum communium commentarios, tanquam in armamentarium instructissimum referri possit, vt theologi & ecclesiæ magistri & doctores futuri, & dicendo ad populum, & cum hostibus religionis confligendo officium suum exequantur, & de hostibus veritatis victoriam reportent; & non, vt thesauro iam parto, & in vnum locum comportato, & quasi in terram defosso inutiliter incumbant. Primum enim & præcipuum theologi & pij pastoris officium est, docere, & pascere sibi concreditum gregem. Atque hoc & Christus ipse & eius apostoli docent. Christus namque missurus apostolos in opus legationis [a] dixit, *docete omnes gentes*: idémque *Petrum* lapsum ad officium suum exequendum excitans hæc ingeminauit & [b] dixit, *Pasce oues meas, pasce agnos meos*. Neque hoc ad *Petrum* solùm, sed ad omnes pios

a Matth. 28.

b Ioan. 21.

pios episcopos qui Petro in pascendis Christi ouibus successerunt, pertinere dignoscitur. Ideo [a] *Petrus* presbyteros hortatur, *vt pascerent Dei gregem, qui secundum ipsos erat*, idque ἑκουσίως καὶ προθύμως, hoc est, *sponte & prompte.* Apostolus etiam in Timothei persona nobis boni episcopi & pastoris formam describens: *prædica* [b] inquit, *verbum, insta opportunè & importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Dicamus ergo nunc quomodo huic officio suo pius ecclesiæ doctor satisfacere possit, ne quæcunque superius scripsimus, frustra monuisse & præscripsisse videamur. [a] 1. Petr. 5. [b] 2. Tim. 4.

Doctoris & concionatoris ecclesiastici officio ille nostra sententia satisfacit, qui secundum fidei regulam veram doctrinam tradere, falsa & noxia dogmata refellere, in iustitia & bonis moribus erudire, hominésque imperitos informare, & peccatores redarguere, didicit: denique qui & segnes ad opera pietatis & virtutis hortari, & afflictos consolari potest. Totum enim munus doctoris pij circa scripturam versatur, *quæ* vt inquit [c] apostolus, *vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum & erudiendum in iustitia.* Idem etiam [d] docet *per consolationem scripturarum spem haberi.* Neque sane alius meretur nomen operarij ἀνεπαισχύντου, siue inconfusibilis, *nisi qui recte* [e] *tractat verbum veritatis.* Hinc ergo intelligimus, quinque esse siue genera concionum, siue communia concionum argumenta, quæ communiter ad populum haberi solent. Concio enim aut institutionem in fidei do- [c] 2. Tim. 3. [d] Rom. 15. [e] 2. Tim. 2.

ctrina spectat, & dicitur doctrinalis; aut refutationem hæresis alicuius, aut erroris, & dicitur refutatoria; aut institutionem in moribus & pietate, & vocari potest institutiua; aut peccatorum reprehensionem, & dici potest reprehensiua; aut denique consolationem in afflictionibus, & hortationem ad bene sperandum, & dicitur consolatoria. quæ diuisio à fine concionum sumitur, & ad conciones tantùm simplices spectat. Sunt enim aliæ conciones mixtæ, quæ plures ex istis locos complectitur. Solentque ecclesiastæ periti in eadem sæpe concione & verum docere, & falsum refellere, virtutémque laudare & vitia reprehendere, hortari denique & afflictos & miseros solari: aut saltem plura ex istis locis persequi.

In singulis vero concionum generibus vt pastores ecclesiæ fructum ex laboribus, quem sperant, percipiant, atque vt fideles verbi salutari doctrina vtilius pascantur, hæc potissimum concionatores spectare debēt. *Primò*, etsi omnis scriptura vtilis sit; ex ea tamen locos illos eligēt, qui populo, temporibus, personis suis, locisque vbi concio habetur, maximè conueniunt. Idcirco autem huius rei *primò* rationem habendam dixi, quia non alio nomine conciones habent ecclesiæ pastores, quam vt scripturas interpretentur, neque aliud argumentum concionum sumere solent.

Deinde vbi animi auditorum aut à personis concionatorum, aut à rebus tractandis alieniores esse videbuntur, non temerè res ipsas aggredientur, neque antequam sibi aditum ad auditorum

beneuo-

beneuolentiam patefecerint, eósque expectatione rerum magnarum & maximè vtilium attentos fecerint.

Tertiò, ne extra limites temerè euagetur oratio, & ne auditores suspensi teneantur, & ignorent, quibus de rebus agere instituerunt; certos sibi terminos constituent, quibus omnis concio contineatur. Hoc enim & perorantem plurimū commendat, & auditorum memoriam iuuat & confirmat. Oratio verò sine omni diuisione & partitione scopis dissolutis simillima videbitur.

Quartò, non tantùm rectè & dilucidè explicanda sunt & confirmanda fidei dogmata, & quæ ad morum pertinent reformationē, sed etiam acutè refellendæ hæreses, & reprehendenda morum vitia. Hic etiam locus erit idoneus homines afflictos & cogitatione vel peccatorum suorum, vel communium calamitatum deiectos nonnunquam erigere & consolari.

Postremò, breui eorū quæ dicta sunt facta enumeratione, tanquam aculeos quosdam in animis auditorū infigere debent, vt vel probent quæ demonstrata sunt, & sequantur quæ laudata, vel fugiant & auersentur dogmata noxia & vitia reprehensa. Loci etiam nonnulli quandoque attingendi sunt, qui consolationem in rebus asperis & calamitosis afferre possunt.

Quod autem diximus eas scripturas maximè deligendas esse, quæ personis, locis & temporibus maximè conueniunt, quæque maximam vtilitatem & opportunitatem habere videntur; illud diligentissimè ab omnibus concionatoribus obser-

uandum est. Neque enim subtiliter disserendum est de obscuris quæstionibus & maximis religionis Christianæ mysterijs apud homines imperitos & rusticos, qui erudiendi sunt potius, quàm illaqueandi, nec vtiliter tractatur de officio pastorum coram plebe, de fraudibus & astutijs mercatorum coram agricolis, de militum peccatis coram mercatoribus, de oppressione principum aut hominum nobilium coram populo, quando nulli adsunt, in quos illa concionis pars quadret. est etiam intempestiuum tempore pacis de rebus bellicis agere, tempore belli pacis commoda commemorare. Neque quicquam minus decet, quàm si homo adolescens & imperitus censoria arrepta persona, homines doctos, graues & prudentes aut reprehendere, aut obiurgare, aut monere non dubitet. Præterea licèt scriptura quam tractant, summam illis facultatem præbeat aut hæreses iam mortuas refellendi, aut vitia ignota reprehendendi, præstat tamen illa vel silentio præterire, vel breuissimè perstringere, & in rebus potius necessarijs aut vtilibus orationem consumere. Sunt denique nonnullæ scripturæ, quæ vnum, aut alterum locum continent, eúmque satis angustum, & fortasse à personis, apud quas verba facimus, alienum. Quis ergo non caueat, ne se in huiusmodi angustias conijciat, vel in sermonem inutilem alienúmque excurrat, vel frustra verba inania fundit?

In exordijs etiam cauebunt, ne vel nimis magnificè se inferant, vel nimio verborum apparatu vtantur, vel exordijs vtantur vel nimis longè petitis,

tis, aut longis. quorsum enim prolixa oratione opus est apud eos, qui salutare fidei pabulum expectant, nec quicquam magis expetunt, quàm vt in fide & moribus rectè instruantur? sciendum etiam est, non semper vtendum esse exordijs in concionibus. auditores enim fideles non verba nuda, sed rem meram expectant.

Enumeratio seu diuisio, quam in concionibus adhibere solemus, maximam vim habet, præsertim si ex ipsis scripturæ verbis profluat, & non contra mentem eius per violentiam inferatur. Ostendit enim iudicium ecclesiastæ, res dispersas in vnum corpus contrahit, orationem euagantem intra ripas continet, ne diffluat, sententiam scripturæ dilucidè aperit, doctrinas varias salutares expromit, & memoriam dicentium & audientium firmat. Videndum ergo primò, ne vi dedolemus scripturam, deinde ne nimis multas partes faciamus, & *postremò* vt quæ proposuimus, ea accuratè secundum mentem spiritus sancti, & ordinem institutum tractemus.

Post propositionem verò siue diuisionem, siue enumerationem (tot enim nomina hæc orationis pars sortita est) aggredientur ecclesiastæ ipsius sacræ scripturæ interpretationem & tractationem. Et *primò* quidem verba sacræ scripturæ & phrases, si quæ occurrent difficiliores, breuiter & apertè explicabunt. Deinde suam explicationem seu interpretationem, præsertim si eam aliqui non recipiant, & ab antecedentibus & à subsequentibus verbis & sententijs, & à scopo spiritus sancti, & à locis scripturæ similibus, & testimonijs antiquissi-

morum interpretum confirmabunt. *Tertiò* doctrinam quam ex illo loco hauriunt & scripturis, & patrum sententijs, & alijs argumentis confirmabunt; idque tum maximè, quando papistæ, aliíue hæretici contradicunt. *Quartò* inde alia ad vtilitatem auditorum documenta, quæ in scholis corollaria, seu conclusiones quasi ex primis principijs elicient. *Postremò* vsum singulorum ostendent, & inde ad credendum & bene operandum, & omne virtutis genus hortandi materiam sument. à flagitijs etiam & hæresibus auditores vbi opus est & locus flagitat, deterrere debent.

Atque hæc ferè omnium concionum communia sunt, & tam ad doctrinale genus, quàm ad reliquas concionum formulas pertinent. sed habent præterea singula concionum genera sua peculiaria præcepta & obseruationes. In genere doctrinali aut themata, vt vocantur, simplicia tractantur, aut integræ propositiones. Themata simplicia commodè explicantur per quæstiones. Nam aut quæritur an sit, aut quid sit, aut quotuplex sit, aut quas habeat partes, aut quas causas, aut quos effectus, aut quæ sint ei affinia, aut denique quæ contraria & huiusmodi alia. Hoc tamen non ita intelligendum est, quasi omnes hæ quæstiones in singulis thematis, seu vocabulis locum haberent. nam neque quæritur an sit, quod omnes esse fatentur; nec quotuplex, quod simplex est, & vnius generis; sed ex omnibus quæstionibus illas deligent concionatores, ex quibus cognitis & discussis aliqua ad populum dei vtilitas redundat,

Integræ verò propoſitiones quæ ad fidem pertinent, ſiue ſint affirmatiuæ, ſiue negatiuæ, confirmandæ ſunt teſtimonijs & argumentis ex ſacris canonicis ſcripturis. *fides enim ex auditu,* vt inquit [a] apoſtolus, *& auditus ex verbo dei.* Nullum autem nunc verbum dei credimus præter illud, quod deus in ſcripturis ſacris nobis reuelauit. Præterea quoniam papiſtæ, aliíque hæretici interpretationes noſtras reijcere ſolent; non abs re erit poſt ſcripturæ oracula adiungere etiam ſententias patrum, & antiquiſsimæ eccleſiæ ſuffragia. omnia denique, quæ nos probanda ſuſcipimus & ſimilitudinibus & exemplis illuſtranda & argumentis à confeſsione aduerſariorum & alijs locis dialecticis corroboranda ſunt: præſertim verò vbi res nobis eam facultatem ſubminiſtrat. à ſcripturis verò plura argumentorum genera deduci poſſe videntur, vt ex patrum ſcriptis liquet. ipſi namque argumentari ſolent vel à phraſi ſcripturæ, ſeu dictionis formula, vel à ſignificatione verborum, quibus vtitur ſpiritus ſanctus, vel à verbis antecedentibus aut conſequentibus, vel à principio aliquo fidei in ſcripturis contento, vel ab attributis dei, vel à ſigno ad rem ſignificatam, vel à tempore legis ad tempus euangelij, vel ab vno tempore in omne tempus, vel à membris ad caput & contrà, vel à minis & promiſsionibus ad effecta, vel à veritate verbi dei, vel à perſona vnius ad omnium piorum perſonas, & vnius impij ad omnes impios, vel ab allegorijs & typis ad veritatem, & huiuſmodi alijs locis. Ita, inquam, patres argumentari ſolent. Quis autem non libenter perſequatur

vestigia

[a] Rom. 10.

vestigia patrum, præsertim vbi ipsi à patribus suis, apostolis scilicet & prophetis, eorúmque sententia non recesserunt: semper tamen relinquendi & vitandi sunt loci, qui vel curiositatem olent, vel à proposito alieni esse videntur. in doctrina denique tradenda, ea strictim & breuiter attingenda sunt, quæ nec personis, nec temporibus, nec locis conueniunt, licèt sacræ scripturæ, quas tractamus, de huiusmodi negotijs verba faciant. Absonæ autem & nouæ & ineptæ & violentæ scripturæ interpretationes, siue potius deprauationes semper fugiendæ sunt.

In genere refutatorio *primò* aduersariorum sententiam, *deinde* eorum paralogismos & sophismata proponemus. hic etiam si quid ineptè, aut stultè collegerint referemus. *Tertiò* ostendemus sententiæ, quam refellendam suscepimus, ineptias & nouitatem, eámque argumentis à scripturis, patrum testimonijs, aduersariorum confessione & dissensione, variisque alijs rationibus refellemus. *Postea* respondebimus ad argumenta aduersariorum secundum ordinem à nobis propositum, eáque aduersus hostes, quoties datur facultas, retorquebimus. *Postremò* veram interpretationem & sententiam afferemus, eámque argumentis, quæ diximus confirmabimus. magna tamen hic cautione opus est. nam vt in genere doctrinali non longa opus est confirmatione in rebus clarissimis, quæ ab omnibus cognoscuntur & conceduntur; sic nec multi esse debemus in hæresibus intermortuis & populo ignotis refellendis. *Deinde* non temerè hæreses & errores refellendos suscipere debemus;

nisi

nisi eos solidis argumentis conuincamus. *Tertiò* non nimium in hoc genere immorandum videtur, præsertim vbi apud populum habetur oratio, cui subtilitates nimiæ nec placent, nec vtiles videntur. *Quartò* videndum, ne aduersarijs falsa sententia affingatur, & ne eorum argumenta aliter proponantur, quam ipsi ea proponere soleant. hoc enim illi rident, & inde calumniandi ansam sumunt. cauendum postremò ne maiore verborum acerbitate vtamur, quàm res postulat. In genere institutiuo aut laudamus aut suademus, & ad ea quæ honesta & laudabilia sunt, hortamur. laudari solent honesta, iusta, vtilia, & maximè quæ ad pietatē spectant, quæq; fortiter & magno animo, & temperanter fiunt, & huiusmodi. ad ea etiā suscipienda hortari solemus. argumenta verò ducuntur à scripturis & locis, quos diximus. multum etiam valet, si ostendamus illa quæ suademus esse tuta, facilia & necessaria. magis particulariter verò aliquid iustum & vtile esse demonstrabitur à præceptis & promissionibus dei, à consilijs & exemplis piorum, à legibus & consensu populorum, & denique quia contrarium his omnibus repugnat, & turpe & indecorum est. obseruandum est etiam, laudari nonnunquam personas, nonnunquam res. sed ex rebus laude dignis oriri solent & laudes personarum. pietas ergo & quicquid laude dignum censetur, diligenter cognoscendum est. cauendum verò, ne res leues & non adeo magni momenti nimijs laudibus efferamus. hoc enim putidum est, & à concionatoris grauitate alienum. videndum etiam vt omnis simulationis

onis & assentationis absit suspicio. nihil autem turpius, quàm aliquem coràm in os laudare. omnes denique operam dabunt, ne res turpes, aut inutiles, aut non necessarias vel suadeant, vel laudent.

In genere redargutiuo, seu locis potius, quæ ad peccatorum reprehensionem & redargutionem spectant, licet quidem audacter & liberè reprehendere. *argue* inquit [a] apostolus *& increpa.* sed neque reprehendenda sunt, quæ reprehensione carent, nec credenda sunt facilè, quæ maleuolorum rumoribus differri solent, nec quæ clam à priuatis gesta dicuntur, temerè in lucem proferenda sunt. hoc enim peccatorem non adigit ad pœnitentiam, sed magnum odium sæpe conflat in concionatorem. præterea nec omnes personam hanc reprehensoriam & censoriam in se suscipere debent, nec omnes personæ absque discrimine pariter perstringendæ videntur. neque enim litigandum est cum fratribus de rebus priuatis in loco præsertim publico, neque ea dicenda, quæ magistratus minuunt authoritatem. cauendum est etiam, ne quid odio, aut inuidia incitati in quenquam dixisse videamur. vitia enim reprehendenda sunt, & parcendum, quantum licet, hominum famæ. si quid autem aduersus fratres habemus, illud præstat inter nos & ipsos, & non publicè proferre. *Postremò* nec magna flagitia leuiter perstringenda sunt, nec quicquam turpius, quam in res leuiusculas tragicè debacchari. reprehēdenda autem sunt illa præcipuè, quæ aduersus legem Dei, deinde quæ aduersus leges & institutiones eccle-

[a] 2. Tim. 4.

siæ

siæ Christi, & principum Christianorum committuntur. præterea quæcunque turpia sunt & indecora, & magna secum incommoda & damna vel reipub. vel hominibus priuatis afferunt, reprehensione digna videntur. Omnis ergo impietas & turpitudo redarguenda videtur. Sed quoniam finis reprehensionis est hæreseôn & delictorum eradicatio, peccatorúmque ad Deum conuersio; idcirco & minis legis diuinæ, ab impietate & peccato reuocandi sunt, & promissionibus misericordiæ Dei ad pœnitentiam alliciendi. Proponendæ etiam sunt pœnæ, quæ homines impios & sceleratos in hac vita sequuntur, vt quos religio non mouet, eos pœnæ legũ, terrores cõscientiæ, & hominũ odia aduersus flagitia in officio contineant.

In consolatorio genere abducimus fideles à dolore & tristitia, reuocantes illis in memoriam prouidentiam Dei, præsidium angelorum, iustitiam Dei, exemplum *Christi* & *Christi* discipulorum, conscientiæ rectitudinem, promissiones dei de liberatione piorum, gloriam Dei, quæ in piorum afflictone & patientia relucet, spem futuræ vitæ, & huiusmodi.

In omnibus verò istis locis, vbi aliquid affirmamus, vel negamus, suademus, vel culpamus, licèt non hoc semper dixerimus, locum habent testimonia sacrarum literarum, & authoritas maiorum, piorum presertim patrum & principum. Adduntur etiam exempla, quoties licet, ex scripturis & ecclesiæ historia, & aliorũ authorũ scriptis. Confirmanda denique est sententia nostra, & aduersariorum refellenda ex locis à ratione petitis,

titis, & confeſsione aduerſariorum, quoties hoc commodè fieri poteſt.

Valde etiã iuuat affectus auditorũ commouere in rebus triſtibus ad lætitiã, in dubijs & periculoſis ad ſpem, in ſecundis ad metum, in peccatis & flagitijs & impietatibus ad odiũ & deteſtationẽ, in honeſtis & pijs ad amorẽ & delectationem, in calamitatibus proximorũ ad miſericordiã. Neq; vllum eſt concionis genus, vbi aliquid horum locum non habeat. De motibus ergo animorum ſedandis, aut excitandis aliquid dicendum videtur.

Lætitiam in rebus triſtibus excitãt fiducia in Dei miſericordia, conſcientia bene actæ vitæ, promiſſio Dei de liberatione piorum, preces eccleſiæ, futuræ gloriæ expectatio.

Spem in periculis & rebus dubijs concipimus ex promiſsionibus Dei de perpetua cõſeruatione piorum, ex certitudine fidei Chriſtianæ, ex remedijs malorum, quæ oſtenduntur, & quia multis exemplis edocemur, pios ex huiuſmodi periculis nec opinantes fuiſſe liberatos.

Metum impijs incutiunt comminationes diuinæ, legis Dei ſanctiones & pœnæ, ſigna iudiciorum Dei aduerſus impios & ſceleratos, & poſtremò terrores futuri iudicij, & inferorum cruciatus æterni.

Odium aduerſus peccatum gignunt ſcandala, quæ inde proueniunt, perſonarum dignitas aduerſus quas peccatur, rerum turpitudo, damnum denique, quod inde ad eccleſiam, rempub. & homines priuatos redundat.

Homines perditi & flagitioſi ad ſolicitudinem

ſalutis

salutis æternæ excitantur locis ab honesto, peccatorū turpitudine, agnitione fragilitatis humanæ, miserijs peccatorum, damnis quæ sequuntur vitam flagitiosam, bonísque quæ sequuntur verè pœnitentes.

Ad amorem Dei inflammantur hominum animi argumentis à summo Dei erga genus humanum amore, à summa diuinæ naturæ excellentia, à bonitate Dei, ab officio homins Christiani & exempls piorum.

Metus diuini iudicij illis incutitur, qui cogitant Dei iustitiam, iram aduersus scelera & impietatés, suam indignitatem, peccatorum suorum grauitatem, exempla iræ diuinæ, & pœnarum in peccatores inflictarum.

Spem de Dei misericordia adipiscimur, ex Dei promissionibus, & fructu qui consequi solet humilem confessionem, ex Christi mediatione efficacissima, spiritus sancti adiutorio certissimo & electionis nostræ certitudine, quæ ex signis & effectis consequentibus habetur.

Erga alios misericordia afficimur commoti argumentis ab ætate, conditione, vitæ innocentia, genere calamitatis, & dignitate eorum, qui affliguntur.

Quanto verò magis res amplificamus à ratione rei, loci, temporis, personæ, & alijs circumstantijs, atque etiam à natura Dei, à præstantia vocationis Christianorum, & huiusmodi locis; tanto magis homines Christiani affici & commoueri solent.

Postquam verò scripturæ interpreratio & tra-
ctatio

ctatio absoluta est, omniáque dicta videntur, quæ vel docenda vel refellenda, vel monenda, vel reprehendenda, vel ad consolationem piorum piorum commemoranda existimauimus, vel saltem quæ per temporum fortasse angustias disserere potuimus; quæ superius diximus, breuiter enumerabimus, omniáque quæ diximus pro rerum grauitate exagerantes, oratione breui ad Deum fusa concionem concludemus.

Atque hæc omnia non dubitamus, quin theologici studij candidati, quando ex scholastica palestra in aciem & certamen cum hostibus pietatis processerint, & concionandi munus susceperint, ipsa experientia edocti vera, & admodum necessaria esse cognoscent. Nos quia nouitijs non inutilia fore putauimus, ea in hunc breuem tractatum coniecimus. Vnde si aliquid vtilitatis ad eos redundarit, lætabimur: sin minus; tamen non dubitamus eos voluntatem nostram probaturos, aliósque qui plus possunt nostro exemplo prouocatos, aliquod absolutius opus de his rebus esse aliquando edituros.

